
ZEPHYRINI ZITELLI NATALI

S. CONGR. DE PROP. FIDE OFFICIALIS
THEOL. AC IVRIS VTR. D.

EPITOME

HISTORICO-CANONICA

CONCILIORUM GENERALIUM



ROMAE
EX TYPOGRAPHEO FRATRUM MONALDI
AD CLIVUM TRIUM OLLARUM, V.
Vulgo *delle Tre Pile*, 5.

MDCCCLXXXI

Ius proprietatis salvum esto.

MARIANO . RAMPOLLAE

E . COMITIBVS . TYNDARIDIS

PROTONOTARIO . APOSTOLICO

QVI . LEGATO . PONT . MAX.

APVD . AVLAM . HISPANIENS . CONSILIARIVS

AC . POST . EIVS . IN . VRBEM . REDITVM

LEGATI . VICE . FVNCTVS

ILLVSTREM . APVD . OMNES

NOMINIS . SVI . FAMAM . RELIQVIT

IDEMQVE . A . SECR . SACRI . CONSILII

NEGOTIIS . RITVS . ORIENTALIS . ECCLESIARVM

TRACTANDIS . PRAEPOSITI

ET . SACRI . CONS . EXTRAORDINARIIS . DE . RE . CATHOLICA

QVAESTIONIBVS . DECERNENDIS

EXEMPLAR . SE . RELIGIONIS . PRVDENTIAE . DOCTRINAEQVE

APPRIME . SVSPICIENDVM . PRAEBET

ZEPHYRINVS . ZITELLIVS . SAC.

IN . ALMO . COLL . CAPRAN . CONTVBERNALI . OLIM . SVO

ET . IN . THEOL . STVDIIS . COLLEGAE . PRAESTANTISSIMO

SVBSECIVIS . HORIS . ELABORATVM . OPVS

DICAT . NVNCVPAT

VETERIS . AMICITIAE

MEMORISQVE . ANIMI . TESTIMONIVM

PROOEMIUM

Summi momenti est non tantum Sacrae Theologiae sed etiam Juris utriusque cultoribus, Conciliorum praesertim Generalium cognitio, quae in Ecclesia acta sunt. In his enim quae fidelibus credenda sint infallibili magisterio ac solemniori manifestatione proponuntur, disciplinae leges ad quarum normam christianam vitam exigere oportet constituuntur, haereses efficacius coercentur ac profligantur, consuetudines declarantur.

Hinc non inutilem operam nos praestituros putavimus, si Conciliorum generalium brevem historiam contexeremus, quae summatim perstricta eorumdem acta ob oculos poneret ac enarrationibus identidem additis, quae difficiliora sunt explicaret. Id sane percommodum iis erit quibus tam multa et magna Conciliorum volumina pervolvendi aut otium, aut occasio non suppetit, vel quibus ea copia librorum praesto non est, quam id studii genus undique conquisitam in promptu esse deposcit.

Ne vero in historica expositione vel inviti deciperemur, vel quae recentiori aevo reperta sunt monumenta posthaberemus, quae alii de hoc argumento scripsere accurate expendimus, qua in re opportunissimam se praebuit Conciliorum Historia Caroli Iosephi Hefele Episcopi Rottemburgensis.

Antequam vero opus aggrediamur nonnulla de iure synodali in genere praemittere abs re non erit, quod duplici articulo cursim praestabimus, quorum primus de Conciliis generalibus, alter de particularibus aget.

ARTICULUS I.

DE CONCILIIS GENERALIBUS.

Concilia in Ecclesia idem esse ac comitia in Regno recte asserit Card. Bellarminus *Lib. I. de Conciliis;* quemadmodum enim regni comitia non aliud sunt, quam conventus Principum, Procerum, Magistratuum ad temporale bonum civilemque reipublicae administrationem, ita Concilia sunt coetus publici ecclesiasticorum virorum ab eorum Praelato convocati, ad ecclesiastica negotia tractanda.

Conciliorum in duas species summa divisio est in Generalia, quae et Oecumenica dicuntur et in Particularia. Concilium generale illud est ad quod Romani Pontificis auctoritate omnes ordinarii Ecclesiae Episcopi vocantur ad Ecclesiae negotia cum deliberandi facultate transigenda. (Cf. Devoti. *Inst. Canon. Proleg.* § *38 et* seqq.)

Hinc facile deducitur 1.°) Quodnam sit Conciliorum generalium obiectum: 2.°) Quae sint personae quibus ea coalescunt: 3.°) Quae earumdem in iis sint partes: 4.°) Quae ad eorum legitimitatem et firmitatem requirantur: 5.°) Quis ordo in iis servetur.

Obiectum Conciliorum generalium ecclesiastica sunt negotia, quae scilicet universae Ecclesiae interesse possunt; unde sequitur:

a) Iustam ea convocandi causam Ecclesiae necessitatem esse, sive ea pertineat ad eiusdem incolumitatem servandam, sive ab bonum augendum, adeoque

b) Perperam a nonnullis existimatum esse extra causam haereseos, convocari Concilium generale non posse; absurdum quippe est in ceteris necessitatibus, quae absque concilio, neque satis plene, neque satis commode depelli valeant, Ecclesiam opportuno remedio privari.

Porro personae, quibus Concilia generalia coalescunt, duplicem in classem sunt distinguendae; in earum quae

proprio ac nativo iure, et in earum quae ex privilegio iisdem intersunt.

I. Proprio ac nativo iure ad ea conveniunt Episcopi; quandoquidem soli ii sunt, qui ex divina ipsa Ecclesiae constitutione per legitimam Apostolicae Sedis missionem positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.

II. Ex Apostolicae Sedis privilegio intersunt iisdem (*Confer.* Schmalzgrueber *in Dissert. prooem. n. 326* seqq. Devoti *in prolegom.* § *40)*

a) Cardinales non Episcopi;

b) Generales Ordinum regularium;

c) Abbates consecrati et habentes iurisdictionem.

Partes autem, quae eisdem in Concilio competunt, hae duae sunt, Legislatorum et Iudicum, quas quidem unusquisque exercet, non in eam tantum fidelium partem, quae sibi commissa est, sed in Ecclesiam universam, sive iure ab universae Ecclesiae Primate communicato, sive, quoad Episcopos, iure proprio, supposita divina Clericorum institutione, quae porro tenenda est. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 311,* seqq. De quibus officiis haec sunt notanda.

I. Eorumdem veritatem et naturam in eo sitam esse, quod singuli auctoritate propria (sive communicata ea sit a Romano Pontifice, sive divinitus delata), leges ferunt, ac sententias dicunt, quae universos fideles obligant.

II. Eorumdem exercitium duplici conditione obligari, sive ex ipsa rei natura, sive ex divina Ecclesiae constitutione, idest

a) Ut in iudiciis fidei, quae natura sua varia esse non potest, secundum rem iudicatam, si qua forte praecesserit sive alterius Concilii, sive solius Romani Pontificis, iudicandum sit, non autem contra illam;

b) Ut cum Romano Pontifice, sine quo Ecclesiae Corpus truncum et acephalum est, Concilii Patres in sententiis ac legibus ferendis coniuncti esse debeant ita, ut illae eiusdem confirmatione indigeant, ut firmae sint ac legitimam habeant exsecutionem.

III. Quod ex dictis consequitur, perperam a Febronianis asseri per conditiones praedictas utramque potestatem, Legislatoris scilicet et Iudicis, ab Episcopis abrogari; concilia autem inutilia effici; quandoquidem sub utraque conditione semper verum est, Episcopos auctoritate propria leges ac sententias ferre ac fideles obligare, adeoque veros iudices et legislatores esse; sua vero cum Romano Pontifice concordia et consensu efficere, ut melius comprimatur pravorum contumacia, debiliumque infirmitati consulatur; unde manifeste conciliorum utilitas ac necessitas apparet. Imo

a) Quoad primam conditionem rei iudicatae in iudiciis fidei servandae, Febronianorum assertio non modo ecclesiastico, verum etiam civili iure erronea est; quandoquidem eadem conditio in civilibus quoque iudiciis servari debet; (*L. 1. Ex quibus causis maiores 25 annis etc. Ibique Glossa.*)

b) Quoad alteram, quae Romani Pontificis confirmationem exigit, assertio Febronianorum cum ipso pugnat febroniano systemate, quo nimirum, licet per iniuriam, statuitur, exsecutionem habere non posse 1) Leges Romani Pontificis absque placito Episcoporum; 2) Leges generatim ecclesiasticorum Praesulum absque placito regio; 3) Leges omnes sive ecclesiasticas sive civiles absque populi acceptatione; neque tamen in eodem systemate existimatur, abrogatam esse a Romano Pontifice, ab ecclesiasticis Praesidibus, ab omnibus denique Principibus legislatoris auctoritatem.

IV. Minus etiam proprie a nonnullis Theologis Conciliorum de causis fidei iudicia in duplicem classem distingui, in iudicia auctoritatis, quae scilicet ex intimo causae merito, seu ex intima cognitione deducuntur, et in iudicia adhaesionis, quae ex auctoritate extrinseca, idest ex antecedente re iudicata feruntur. (*Conf.* Zaccaria *Antifebron. vindicat. Cap. 6 n. 6,* seqq.); cum utraque dicenda sint iudicia auctoritatis, quae nimirum auctoritate

iudicantium et feruntur et fideles obligant; illa autem distinctio confundat naturam ac vim iudicii cum fundamentis quibus ipsum innititur.

Iamvero requisita Conciliorum, ut legitima ac firma sint, quinque praecipue recensentur, nimirum

I. Ut legitima indicantur auctoritate, idest a Romano Pontifice ; siquidem Concilii Generalis convocatio est actus sua natura ecclesiasticus, idemque potestatis supremae, cum de obligandis totius Ecclesiae Episcopis agatur. Potestatem autem supremam unus habet in Ecclesia Romanus Pontifex. Unde sequitur

a) Perperam Protestantes ac Febronianos laicis Principibus eiusmodi auctoritatem asseruisse; argumentum autem, quod ex facto priorum octo Conciliorum deducunt, vanissimum esse. Peccat enim quoad factum, cum certum sit, saltem eorumdem convocationem Romanorum Pontificum assensu legitimam fuisse, uti constat de quatuor prioribus ex solemni Legatorum Romani Pontificis testimonio adversus Dioscorum edito in actione 1ª ipsius IV Concilii (nempe Chalcedonensis), quod nimirum haereticus ille Concilium (seu potius conciliabulum ephesinum) absque Romanae Sedis auctoritate convocasset, his verbis ab iisdem legatis nemine refragante prolatis: « Quod nunquam factum fuit, nunquam licuit ». Item de iisdem quatuor Conciliis, deque duobus insequentibus, ex prosphonetico ad Imperatorem Sexti ipsius Concilii idest Constantinopolitani III. Item de sex iisdem prioribus, et de septimo, implicite quidem sed gravissime, ex Actione 6ª ipsius Septimi Concilii, idest Nicaeni II. ubi reiicitur Iconomacorum Conciliabulum hac de causa, « quia non habuit cooperantem « illius temporis Papam vel Sacerdotes eius, neque per Legatos, neque per encyclicam epistolam ut postulat lex « Conciliorum. » Explicite autem de septimo ex Epistola Hadriani II, ad Basilium Imperatorem. Sed peccat argu-

mentum febronianum etiam respectu iuris. Cum enim ex rei natura et divina Ecclesiae constitutione evidens sit, non posse Concilia ecclesiastica a laicis Principibus convocari, quidquid secus actum reperiatur, id iusti argumenti loco esse non potest; sed alterutrum dicendum est, aut iniuria factam esse, aut convocationem illam non fuisse formalem, sed materialem atque exsecutoriam, vel ad summum integralem. Haec autem triplici de causa permittebatur, 1°) ut quaevis offensionis occasio evitaretur, quia conventus publicos leges civiles vetabant *(L. 3 § in summa ff. de Collegiis. L. 2. ff. de extraord. Criminibus)*; 2°) ut adversus contumaces praesidium ab iis haberetur; 3°) ut itineris expensae et concilii tempore alimenta subministrarentur, quibus Episcoporum paupertas sufficere non poterat. (*Conf.* Charlas *De libertatibus Ecclesiae Gallicanae Lib. 5 Cap. 3 et* seqq. Zaccaria *Antifebr. 2. L. 4, Cap.* 5. cl. D. Palmieri S. I. *Tract. de Rom. Pont. Thes. XXVIII.*)

b) Perperam etiam Febronianos censuisse, si Romanus Pontifex Concilium convocare nollet, eodem invito posse illud celebrari: argumentum autem deductum a Papa dubio nullum est, quandoquidem Papa dubius est Papa nullus: deductum ab hypothesi Papae haeretici et nullum est, quia sicut homo mortuus non est homo, ita Papa haereticus non est Papa. (Cfr. Augustinus Triumphus in *Summ. de Eccl. potest. q. 5, Art. 1*), et est iniuriosum, quia plenissima et numquam interrupta series omnium Pontificum quotquot usque exstiterunt, eam hypothesim iniuriosam facit; denique deductum ex similibus aliis hypothesibus Papae manifesto scandalosi, manifesto simoniaci hoc est simonias exercentis, patrimonii ecclesiastici manifesto dissipatoris, laborat falso supposito, quia falso supponitur (quidquid alii dixerint) in iis casibus verum haberi posse Concilium adversus Pontificem, nam illis etiam in casibus dicendum esset « prima sedes a nemine iudicatur » adeoque etiamsi comitia aliqua haberi e re esse censeretur, ea tamen non essent Concilium, quod scilicet iudicandi legesque

ferendi vim haberet, sed coetus essent inferiorum, qui tantum obsecrare, admonere, obedientiam in rebus manifeste iniustis denegare, atque ut alii quoque denegent, curare possent. (Cf. Zaccaria *Antif. p. 2, L. 4, Cap. I*).

II. Ut omnes Episcopi generali evocatione, quae omnibus saltem maioribus christianis provinciis innotescat, vocari debeant, licet non omnes adesse necesse sit. (Bellarm. *de Conciliis L. 1, Cap. 17*. Palmieri loc. cit. *Scholion.*) I. Unde sequitur

a) Generali evocatione facta, licet maxima Episcoporum pars non accedat, Oecumenici qualitatem Concilio non detrahi, quod patet ex facto Concilii Ephesini, ubi Episcopi 210 convenerunt, cum una Africa eo tempore tercentos fortasse haberet:

b) Ipsos tamen Episcopos teneri ad Concilium accedere, nisi legitime impediantur, quod patet ex auctoritate vocantis et ex episcopali officio.

c) Ex accedentibus neminem excludi posse, nisi excommunicatus sit, aut rei partes agere debeat.

III. Ut Romanus Pontifex sive per se, sive per Legatos praesideat (Cf. Zaccaria *Antif. p. 2, L. 4, Cap.* 2) quod quidem quatruplici praesertim in iure situm est 1) ut sedem primam habeat 2) ut methodum rerum agendarum praescribat: 3) ut ordinem vel pacem turbantes coerceat: 4) ut primus subscribat. Ex quibus sequitur

a) Concilium Constantinopolitanum I, cui Rom. Pontifex neque per se, neque per Legatos praefuit Oecumenicum non fuisse, nisi cum eiusmodi defectus Romani ipsius Pontificis confirmatione sanatus est:

b) Sedem, quaecumque illa fuerit, quae Imperatoribus aliquando in Conciliis permissa est, non iam Praesidis, sed honoris causa iisdem fuisse delatam, atque inde est, quod nonnisi post omnes Episcopos iidem subscribere consueverunt, quemadmodum ipse testatus est Basilius Imp. in Concilio VIII. seu Constantinop. IV. Act. 10 sub finem.

IV. Ut libertas sententias dicentium non laedatur, vi scilicet iniuste illata.

V. Ut peractum Concilium a Romano Pontifice confirmetur, etiamsi eius Legati eidem adfuerint, ita ut absque ea confirmatione neque infallibilitatem, neque vim ullam Concilium habeat. (Cf. Zaccaria loc. cit. *n. 4*. Charlas *de lib. Eccl. Gall. L. 8, Cap. 9*). Id porro patet ex vi Primatus atque hinc ex celebri Ecclesiae Canone, de quo Graeci etiam omnes testantur. (Socrates *H. E. Lib. 2, Cap. 8 et 17*. Sozomenus *Lib. 3, Cap. 10.*) denique ex praxi perpetuoque ipsius Ecclesiae iudicio, quae Concilia a Romana Sede non confirmata semper repudiavit; cuiusmodi fuere Mediolanense an. 363 ubi plusquam sexcenti convenerunt aliaque non pauca. (Cf. Schmalzgrueber *in Prooemio n. 342 et seqq.*) Unde sequitur

a) Perperam Febronianos Romani Pontificis confirmationem in ea re tantum constituere, ut sit publica quaedam declaratio legitimas solemnitates fuisse adhibitas.

b) Perperam item ad imperitorum mentes turbandas varios sensus ab iis distingui verbi *confirmare*. Sive enim assentiendo, sive ratum habendo, sive auctoritatem impertiendo (qui tres sensus sunt quos distinguunt) Romanus Pontifex Concilium confirmet, dummodo detur, magnam ab eiusmodi confirmatione obligandi vim illud accipere, et absque ea irritum esse, id satis est.

c) Perperam quoque et Febronianos et Gallicanos asseruisse Concilium Generale Romano Pontifici auctoritate praeeminere. (*Confer.* Zaccaria *Antif. vindic. p. 2, dissert. 4, Cap. 5 seqq.*; Charlas *De libert. Eccles. Gallic. toto Lib. 8. alias 5 et Theologos* praesertim vero cl. Dom. Palmieri S. I. *Tract. de Rom. Pont. Th. XVI.*)

d) Perperam denique, et non sine turbatione totius status Ecclesiae a sententia Romani Pontificis appellatum aliquando fuisse ad futurum Concilium, quam proinde temeritatem merito damnarunt sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae Pius II. Const. *Exsecrabilis*

18 Jan. 1459; et Iulius II. Const. *Suscepti Regiminis* 1 Jul. 1509, qui etiam addit, eiusmodi criminis reos pro veris et indubitatis schismaticis et de catholica fide male sentientibus habendos esse. (Conf. Zaccaria *Antifeb. p. 2, L. 4, C. 1.*)

Restat ut de ordine dicamus, qui in oecumenicis Conciliis teneri debet, quique ad duplex caput referri potest.

I. Ad materias in Concilio tractandas; de quibus haec duo animadvertenda sunt:

a) Ordinem in iis tractandis eum tenendum esse, qui a Romano Pontifice sit definitus; qui si a Concilio absit, nihilque praescripserit, cura ordinis definiendi ad eius Legatos devolvitur, qui tamen in rebus praesertim gravioribus, ut suavius agant, Patres in Concilio coactos recte consulunt.

b) Sapienti consilio exemploque plane imitando in Tridentina Synodo ac Vaticana institutum est, ut Congregationibus generalibus particulares quidam coetus praemitterentur, quibus materia generali conventui sufficienda apte praepararetur, tranquilleque prius examinaretur; idque ad praecavendum tum confusionem, tum privatas conspirationes, tum denique deliberationes inopinas, quae turbulenti cuiuspiam ingenii eloquentia extorqueri fortasse possent.

II. Ad personas, idest ad ordinem, quo illas sedere ac deinceps subscribere oportet, qui porro eiusmodi esse debet, ut 1°) sedeant Legati Romani Pontificis 2°) Cardinales. (Eugenius IV Const. *Non mediocri* an. 1438) 3°) Patriarchae; 4°) Archiepiscopi; 5°) Episcopi, habita ratione temporis promotionis ad Ecclesias (Pius IV. Constit. *Sicut ea* 1ª Januarii 1500).

ARTICULUS II.

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS [1]

Particularia Concilia, vel nationalia sunt, quae a Primate aut Patriarcha ex toto tractu, qui eorum iurisdictioni subest, coguntur; vel provincialia, quae a Metropolita ex provincia sua, vel dioecesana, quae ab Episcopo ex propria dioecesi convocantur. Cum autem ea, quae de provincialibus statuta sunt, nationalibus quoque debita proportione conveniant, hinc egisse satis erit 1°) de Provinciali; 2°) de Dioecesana Synodo.

§. I.

De Concilio Provinciali.

Concilium provinciale, prout iam indicavimus, est coetus publicus Episcoporum ad eamdem provinciam pertinentium, qui regulariter ab eorum Metropolita cogitur, vocatis vocandis de iure, vel consuetudine, quique ab eorum Praeside celebratur ad deliberandum de ecclesiasticis Provinciae negotiis. (Conf. Petra ad *Constitut. unicam Honorii II. Sect. 2. et 15.*) Quatuor autem partibus hunc de Concilio provinciali tractatum complectemur, quarum 1ª) sit de personis, quibus illud coalescit; 2ª) de eiusdem adiunctis ac legibus; 3ª) de potestate; 4ª) de approbatione et publicatione.

De personis duo sunt inquirenda; 1.°) quaenam sint: 2°) quibus obligationibus teneantur. Porro ut a primo exordiamur, personarum, quibus Concilium provinciale coalescit, quadruplex est gradus, in quorum 1°) est ipse

1 De Concilio provinciali tractatum edidit Stephanus Quaranta, et novissime Bouix. Agit etiam de eodem Cardinalis Petra in suis Commentariis ad Constit. Apostolicas ad Constit. unicam Honorii II sectione I. De Synodo autem Dioecesana notissimum est opus Benedicti XIV.

Metropolita quive eius locum tenet; in 2°) qui suffragium habent decisivum; in 3°) qui consultivum; in 4°) qui ea tantum exponenda, quae sua intersunt, ad Concilium admittuntur aut vocantur.

De Metropolita quaerendum est 1°) quid ipse in Concilio provinciali valeat; 2°) quo in casu suffici eidem alius et quis debeat. Quoad primum hoc dici generatim potest, Metropolitam in Concilio provinciali esse eiusdem Caput ac Praesidem, auctoritate tamen haud maiore quam praecipui iudicis ita, ut Concilio quadamtenus etiam subsit. (Cf. Petra ad Constit. unicam Honorii II. *Sect. 1. n. 41* collatis *n. 75, 92, 86.*) Inde haec sequuntur;

I. Ex eo quod Concilii Praeses et Caput sit, ad eum pertinere

a) Concilium convocare: *Cap. 25, de accusat.* Trident. *Sess. 24, Cap. 2. de reform.*

b) Eidem praeesse ita tamen, ut eo iure praeter praeminentiam in sedendo atque in subscribendo, id tantum contineatur, ut curet unumquemque suo loco sententiam dicere, neque Concilium turbare; non autem posse sine offensa Concilii aut illud dissolvere, aut cuiquam Episcopo etiamsi inurbane contra ipsum se gesserit, censuram infligere, vel silentium indicere, aut iubere aliquem exire vel intrare, aut libellum aliquem legi vel reiici. (Petra loc. cit. *n. 72.*; Fagnanus in *Cap. 25 de accusat. n. 98. seqq.* ibique S. Cong. Concilii).

c) Totius Concilii sententias suo nomine inscribere easque de consilio et consensu suffraganeorum pronunciare, adeo ut si Archiepiscopus pronuntiare sententiam aliquam nolit, eadem ferri a ceteris non possit, sed Summus Pontifex sit in eo casu adeundus. (Petra loc cit. *n. 72* et seqq.)

II. Ex eo quod sit merus iudex, licet praecipuus una cum caeteris, sequitur

a) In sententiis sive decretis ferendis maiori suffragiorum numero cedere eum oportere. (Cf. Petra ad dictam Constit. unicam Honorii II. *Sect. 1ª n. 41, 69*).

b) Episcopos, non obstante Metropolitani praesentia, uti in Concilio posse veste linea quae audit *Rocchetto* una cum *Mozzetta*. (Petra loc. cit. *n. 64*).

III. Ex eo quod Concilio quadamtenus subsit, sequitur

a) Concilium de querelis adversus Metropolitanum propositis recte cognoscere, easque definire (Fagnanus in Cap. 25. *de accusat. n. 41*), eiusque negligentiam praesertim circa Seminarii erectionem corripere (Conc. Trid. *Sess. 13. Cap. 18 de reform.* verbo *Quod si Cathedralium* etc.); licet de ipsa eius persona ac statu iudicare nequeat (Petra loc. cit. *n. 86*).

b) Concilii ipsius decreta servari a Metropolitano debere, nec variari ab eo posse (Argument. Clementinae 1ae *de sentent. excomm.* verbo *Quod etiam.*)

Quod autem pertinet ad alterum, quando scilicet et quis sufficі Metropolitano debeat in Concilii provincialis convocatione ac regimine) ita statutum est: Metropolitano legitime impedito, eius vices geri ab Episcopo antiquiore ex suffraganeis (Trident. *Sess. 24 Cap. 2. de reform.* Fagnanus in Cap. 25 *de accusat. n. 16. Petra* loc. cit. *n. 35*); ac proinde nec a Metropolitae Vicario Generali, neque a Capitulo Metropolitanae Ecclesiae, aut sede vacante ab eius Vicario Capitulari, neque tandem ab Episcopo. exempta licet ea ipsa provincia sit et ceteris antiquior. (Petra loc. cit. *n. 19*, et seqq. Fagnanus loc. cit. *n. 16.* seqq.)

Post Metropolitanum sequuntur ii, qui votum habent decisivum in Concilio. Hi vero sunt

I. Iure proprio, qui Ordinarii appellantur, adeoque.

a) Suffraganei (Confer Fagnanum in Cap. 1. *de pactis n. 60.* seqq.)

b) Praelati qui iurisdictionem quasi episcopalem habent (Petra loc. cit. *n. 39.* coll. *28.* et seqq.)

c) Episcopi, vel iurisdictionem quasi episcopalem habentes, qui exempti sunt, quique scilicet ex decreto Tridentini (*Sess. 24. Cap. 2. de reform.*) tenentur eligere vicinum aliquem Metropolitanum, possunt autem eligere eum etiam, qui non habet suffraganeos. (Petra loc. cit. *n°. 32*. ibique Cong. Concilii) in cuius Synodo provinciali interesse debeant. (Conf. Petra loc. cit. *n. 39.*)

d) Vicarii Capitulares, sede Cathedrali vacante (Petra loc. cit. *n. 35*).

II. Iure communicato

a) Episcopi titulares, si ad Concilium invitati sint:

b) Procuratores suffraganeorum absentium, si concilio placuerit; secus enim suffragio tantum fruentur consultivo. (Fagnanus in *Cap. 10 de his quae fiunt a Praelatis n. 54.*; Petra loc. cit. *n. 39.*)

c) Qui a consuetudine ius habeant (Conc. Trid. *Sess. 24. Cap. 2. de reform.* Fagnanus loc. cit. *n. 38*. Petra loc. cit. *n. 43*), vel a privilegio Apostolico (Petra loc. cit. *n. 40*, vel a Metropolitano, toto consentiente Concilio. (Gaspar de August. in notis ad *Summam Bullarii* Stephani Quaranta, verbo *Concilium Provinciale* § *28.*)

Sequuntur denique duo posteriores gradus, in quibus continentur

I. Qui consultivum tantum votum, habent; iique sunt

a) Capitula Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum quasi episcopalem iurisdictionem habentium (Petra loc. cit. *n. 24* et *36.*; Fagnanus in *Cap. 10 de iis quae fiunt* etc. *n. 3* et *40*), seu eorum deputati (Fagnanus loc. cit. *n. 9, 53*).

b) Abbates, etsi tantum Commendatarii (Fagnanus loc. cit. *n. 46. et 53*).

c) Quicumque a consuetudine ius habent, vel a privilegio Sedis Apostolicae, vel a Metropolitano, toto assentiente Concilio.

II. Qui nullo pollent suffragio, iique sunt, qui se laesos existimant et ad iustitiam petendam accedunt (Petra

loc. cit. *n. 45* qui addit praeter hanc causam laicos, neque ad decidendum, neque ad consulendum admitti debere, allatis ea de re S. Congregationis Concilii resolutionibus).

Jamvero de obligationibus quibus praedictae personae tenentur, videndum est 1.°) Quae sint; 2.°) an omnibus aeque incumbant; 3.°) quae causae ab iis excusent. Duo priora expedire breve est, quandoquidem

a) Obligationes duae sunt praesertim, accedendi ad Concilium, et ab eo ante eiusdem dissolutionem non recedendi; Can. «*Si quis autem*» *distin. 18*, (Trident. *Sess. 24 Cap. 2 de reform.*) sub poena privationis communionis aliorum Episcoporum usque ad futurum Concilium, vel etiam (trina tamen monitione praemissa) proprie dictae excommunicationis (Petra loc. cit. *Sect. 1 n. 111.*), quae censura si lata fuerit per canonem, tolli poterit etiam ab Archiepiscopo; si per sententiam, nonnisi ab ipso Concilio (Petra loc. cit. *n. 112*);

b) Praedictae obligationes iis tantum incumbunt, ad quos iure proprio pertinet suffragium decisivum, vel quibus necessitas ad Concilium accedendi ex consuetudine nata est. (Conc. Trid. *Sess. 24 Cap. 2 de reform.* Fagnanus *Cap. 10. De iis quae fiunt* etc. *n. 42*). Excipiuntur autem, 1°) Episcopus non consecratus, licet possessionem episcopatus sui adeptus fuerit; is vocandus quidem est, et ad Concilium accedens, suffragio pollet decisivo, sed accedere non cogitur; 2°) successor Episcopi post vocationem ad Concilium demortui, nisi et ipse denuo vocetur (Petra loc. cit. *n. 106* seqq.)

Restat ut de legitimis causis dicatur, quae a praedictis obligationibus excusant: nimirum quae sint, quomodo sint allegandae, quam habeant conditionem adnexam, et quamdiu earum beneficium duret. Itaque

I. Causa, ut legitima sit, ex gravi necessitate oriri debet, ita ut, iuxta Glossam in can. « *Placuit* » distinct. 18 verbo « *aegritudine* », levis febricula, vel vetus quartana non sufficiat (Petra loc. cit. *n. 101*).

II. Allegatio facienda est per literas ad Metropolitanum, additis legitimis probationibus (Petra loc. cit. *n. 108* seqq. Conf. *Acta Mediolanensis Ecclesiae* P. 8 *pag.* 1207 *in Epist. ad Episcopum Placentinum* et *pag. 1221* in *relatione iudicum causarum absentiae* et in seqq. Decretis).

III. Eam habet conditionem adnexam, ut procurator cum speciali mandato mittendus sit ad ea, quae acta vel decreta sunt in Concilio, recipienda (Petra loc. cit. *n. 110.* Cfer. *Acta Ecclesiae Mediolanensis* loc. cit.)

IV. Tamdiu prodest, seu excusat quamdiu durat; adeoque, impedimento cessante, is, qui abest, compelli potest ad accedendum, additis etiam poenis (Petra loc. cit. *n. 110.*)

Nunc vero ad ipsum Concilium gradum facientes, leges, quae in eius celebratione servandae sunt, tres in classes distribuemus; in eas, quae concilii celebrationem praecedunt ac disponunt; in eas quae idem actu ordinant; et in eas quae finem eidem imponunt. Priores leges hac generali continentur, ut praemittatur Concilii indictio legitimo tempore ac legitimo modo facta. Porro

I. Tempus ex decreto Concilii Tridentini *Sess. 24 Cap. 2 de reform.* recurrit quolibet saltem triennio. Unde sequitur etiam frequentius celebrari posse ita tamen, ut sub alterutra conditione id intelligatur, concursus videlicet vel consensus suffraganeorum, vel iustae causae, quae etiam S. Congregationi Concilii aperienda est. (Petra ad d. *Constit. unicam Honor. II. Sect. 1 n. 12*).

II. Modus his praecipue legibus continetur.

a) Ut omnes qui iure vel consuetudine vocari debent vel per edictum generale, vel potius per literas singulis

missas vocentur. (Petra loc. cit. *n. 25* seqq.) indicato die et loco futuri Concilii (Conf. *Acta Eccles. Mediolanen. P. 8* pag. 1206).

b) Ut congruus dies qui a Tridentino *Sess. 24 Cap 2 de reform.* post octavam Paschatis, vel alio commodiori tempore pro more provinciae statuatur; itemque congruus locus, qui regulariter Ecclesia Metropolitana, vel certe intra provinciam atque convocandorum commoditati aptus esse debet, designetur (Petra loc. cit. *n. 16* seq.)

c) Ut populus quoque per singulas parochias praemoneatur ad preces pro felici exitu fundendas (Petra loc. cit. *n. 27*).

Concilio autem iam coacto, leges, quae actualem eiusdem celebrationem moderantur, hae praecipuae sunt:

a) Quoad vitae rationem, ut ii qui Concilio intersunt, piis operibus exercere se debeant, conviviis aliisque actionibus laicalibus submotis (Petra loc. cit. *n. 59;* Conf. *Acta Ecclesiae Mediolanensis* P. 8 *pag. 1195*).

b) Quoad ordinem in sedendo, adeoque in sententia dicenda, atque in subscribendo, ut Metropolita, quive eius vice fungitur, mitram gerens omnium pretiosiorem praecedat; deinde ceteri, ut infra sequantur; nimirum 1°) si suffraganei sint Cardinales cum mitra, quae ornatu media sit inter eam, quae Metropolitani est, ac ceterorum; 2°) Si qui prius Archiepiscopi, deinceps ad episcopalem Cathedram fuere translati; 3.°) Ceteri Episcopi comprovinciales iuxta tempus ordinationis, ita tamen, ut qui forte exemptus sit, ei, qui suppar est tempore, praecedat; 4°) Si quis sit Episcopus titularis ad Concilium admissus; 5°) Capitula ecclesiarum Cathedralium, si capitulariter interveniant; 6°) Abbates; 7°) Commendatarii; 8°) Dignitates; 9°) Procuratores Episcoporum; 10°) Canonici Cathedralis, qui uti singuli interveniant; 11°) Collegiatarum Archipresbyteri seu Plebani; 12°) Si qui intersunt Parochi (Petra loc. cit. *n. 60..... 68*).


c) Quoad actus praemittendos; 1.°) Professio fidei

quoad eos, qui a promotione ad episcopatum, ad Concilium provinciale primum accedunt, quae professio debet esse illa a Pio IV et Pio IX praescripta. (Trident. *Sess. 25 Cap. 2 de reform.* Conf. *Acta Ecclesiae Mediolanensis P. 8 pag. 1210*); Graeci utuntur formula professionis fidei praescripta a Gregorio XIII, alii Orientales formula praescripta ab Urbano VIII. 2°) Decretum de praeiudicio non afferendo ob eum sedendi ordinem, qui in Concilio tunc adhibetur (Petra loc. cit. *n. 67*); tum alterum de non recedendo a Synodo ante eius dissolutionem absque causa cognita et comprobata, ac Metropolitani licentia (Confer *Acta Ecclesiae Mediolanensis P. 8. pag. 1215*). 3°) Deputatio tum ministrorum Concilii, cuiusmodi sunt Secretarii, Promotor ac Notarii, tum Congregationum particularium, quae ea disponant, quae absque praevio examine proponi côncilii Patribus utiliter non possent, cuiusmodi est ex. gr. Congregatio quae sit deputata ad cognoscendas causas absentium, tum ea quae ad cognoscendas querelas adversus Episcopos, tum ea quae ad examinandas alias controversias instituta est. (Conf. *Acta Ecclesiae Mediolanensis P. 8. pag. 1196*; 4.°) Admissio ac interrogatio singillatim ac secreto facienda testium synodalium, idest eorum, qui in praecedente Concilio per singulas Dioeceses electi sunt ad ea investiganda, quae sint correctione digna (*Cap. 25 de accusation.* ibique Fagnanus *n. 2* seqq.); 5°) Lectio decretorum Pauli III. et Pii IV. de residentia (Conc. Trident. *Sess. 25 Cap. 2 de reform.*), utque addit Petra loc. cit. *n. 79*, aliorum canonum ac principalium Bullarum.

d) Quoad ordinem rerum agendarum 1°) ut unusquisque loco suo possit id proponere, quod e re esse existimat; 2°) ut pro maiore suffragiorum numero res definiatur (Petra loc. cit. *n. 70* seqq.)

Denique leges ad Concilium rite finiendum hae sunt:

a) Ut dimissio Concilii ex Patrum suffragatione decernatur (Fagnanus in *Cap. 25 de accusat. n. 98.*; ibique S. Cong. Concilii).



b) Ut ante dimissionem fiant acclamationes sanctae cum gratiarum actionibus (Petra loc. cit. *n. 116*);

c) Ut omnes inter se dent osculum pacis ordine debito (Petra loc. cit.).

Iamvero de potestate Concilii provincialis duo quaerenda sunt; 1°) quae sint eiusdem obiecta, seu ad quas causas extendatur; 2°) quomodo cesset aut suspendatur.

Ad primum quod attinet dici generatim potest, Concilium provinciale causas maiores non posse attingere; quoad cetera *in re legifera* a nimia statutorum multitudine abstinere debere (Petra ad d. *Constit. unic. Honor. II. Sect. 1 n. 98*); neque adversus ius commune, aut Romanorum Pontificum decreta quidquam constituere posse; *in re* autem *iudiciali*, neque ea sibi posse subiicere, quae ad forum Archiepiscopale superius iam sint delata, neque ea ad se avocare, quae coram Archiepiscopo aut locorum Ordinariis sunt iam introducta, nisi quatenus id a iure permittitur (Fagnanus in *Cap. 25 de accusation. n. 54* seqq.) Unde sequitur

a) De causis fidei iudicare non posse, nisi forte agatur 1°) de manifesta haeresi, ita ut iudicium sit potius de persona, quam de doctrina; 2°) de re facili de qua inter DD. nullum sit dubium; 3°) de casu de quo mandatum Sedis Apostolicae habeatur. Ita fere Bellarminus *De conciliis lib. 2 Cap. 10*, ubi ad haec tria capita exempta redigit Concilia Provincialia quae de causis fidei iudicasse dicuntur. (Conf. Zaccaria *Antifeb. P. 2, L. 1 Cap. 3 et Antifeb. vindicat. dissert. 5, Cap. 1.*)

b) De causis gravibus criminalibus adversus aliquem Episcopum item agere non posse ita, ut ne inquisitionem quidem instituere queat eo etiam fine ut processum transmittat ad Apostolicam Sedem, nisi mandatum ab eadem ea de re datum fuerit (Trident. *Sess. 24 Cap. 5 de reform.:* Petra loc. cit. *n. 82* et ad *Constit. 2. Leonis IX.*

Sect. 1, n. 24 seq.) Eademque generatim dicenda sunt de iis, quae Pontifici Maximo utcumque reservantur, de quibus conferri potest Fagnanus in cap. « *Perniciosam* » *de offic. ordin. n. 55.... 75.*

c) Indulgentias quoque iis maiores, quae Episcopis permittuntur, non posse concedere (Petra ad *Constit. unic. Honor. II. Sect. 1, n. 100*).

d) Item negotia indefinita non posse extra Synodum alicui committi, nisi forte agatur de casu in iure expresso (Fagnanus in *Cap. 25 de accus. n. 48*).

e) Ceterum auctoritate sua ea generatim complecti, quae pertinent vel ad moderandos mores, vel ad corrigendos abusus, vel ad controversias componendas (Trident. *Sess. 24, Cap. 2 de reform.)* In specie autem animadvertendum est, in Concilio provinciali deputandas esse quatuor per singulas Dioeceses personas, quibus ab Apostolica Sede causae committi tuto possint, earumque designationem ad Romanum Pontificem esse transmittendam (Trident. *Sess. 26, Cap. 10 de reform.*; Petra in *Const. unic. Honor. II. Sect. 1, n. 90*).

Quod vero pertinet ad alterum, sat est animadvertisse, Concilii Provincialis potestatem cessare 1.°) Si Archiepiscopus tamquam suspectus merito allegatus fuerit; eo enim in suspicionem vocato, totum concilium suspectum dicitur (Petra loc. cit. *n. 102* seqq.); 2°) per appellationem ad Romanum Pontificem (Petra loc. cit.); nisi tamen de eiusmodi materia agatur, in qua nonnisi in devolutivo appellatio admittitur. (Conf. Benedict. XIV. *Constitut.* « *Ad militantis* » 13 Martii 1742).

Concilio peracto, nihil aliud restat, nisi ut 1.°) approbetur; 2°) publicetur. Iamvero

I. Quoad approbationem animadvertendum est

a) Eiusmodi approbationem a Romano Pontifice petendam esse, qui acta conciliaria per S. Congregat. Con-

cilii recognosci, et, si opus sit, emendari curat (Sixtus V. Constit. « *Immensa* » 1 Februarii 1588 ubi agit de Congregat. VIII. quae est S. Congregatio Concilii).

b) Eiusdem naturam sitam esse in revisione atque emendatione, nequid scilicet contra canones ibidem statuatur, non autem in proprie dicta confirmatione, licet aliquando eam quoque Romanus Pontifex adiecerit (Petra loc. cit. *n. 124* seqq.)

II. Quoad publicationem notandum est

a) Eamdem faciendam esse a singulis Episcopis in propriis Dioecesibus, ut primum fieri potest, ita tamen ut approbatio Apostolicae Sedis praecesserit. (Conf. *Canon. ultim. distinct. 18*; et Petra loc. cit. *n. 117 et 122*).

b) Effectum eiusdem esse ut statutis conciliaribus omnes Provinciae subditi obligentur (S. Cong. Conc., apud Fagnanum in *Cap.* « *ex his quae fiunt* etc. » *n. 5 et* seqq.: Petra loc. cit. *n. 118*) ; ita tamen ut eiusmodi obligatio sit ad poenam, non ad culpam, nisi Concilium ipsum secus declaraverit (Petra loc. cit. *n. 120*).

§ II.

De Synodo Dioecesana.

Synodus Dioecesana est: « coetus publicus virorum « Ecclesiasticorum ab eorum Episcopo coactus, ut una cum « eo consilia sua conferat de negotiis, quae ad pastora- « lem dioeceseos curam pertinent » (Conf. Benedict. XIV. *De Synodo Dioeces. lib. 1, Cap. 1, n. 4.* collato *lib. 13 P. 1* et *cap. 2, n. 1*). Rem vero totam eadem divisione complectimur quae de Concilio provinciali adhibita est, ut 1°) agamus de personis quibus coalescit; 2°) de obiecto circa quod versatur; 3°) de eiusdem adiunctis ac legibus; 4°) de publicatione.

De personis quaerendum item est, quemadmodum de Concilio provinciali; 1°) quae sint; 2°) quibus obligationibus teneantur. Iam ut a primo exordiamur, quadruplex

earum gradus constitui potest in quorum 1°) est Episcopus, in 2°) ii, qui et vocari debent et adesse tenentur; in 3°) ii qui praetermitti possunt, sed vocati tenentur adesse; in 4°) ii qui nonnisi quibusdam in casibus ad Synodum possunt compelli. Iamvero ad Episcopum quod spectat, quas partes in sua Synodo ipse habeat, ex hac formula intelligi facile potest, quod ipse non modo eiusmodi Synodi est praeses, sed unus est, qui in eadem ius habet ferendi leges. Unde sequitur:

a) Ad eum pertinere non modo Synodum indicere, eique praeesse, verum etiam res deliberandas proponere, easque (nisi de re agatur, in qua Capituli consensum iura exigunt. Conf. DD. ad tit. « *de his quae fiunt a Praelatis etc.*) auditis aliorum sententiis, suo arbitrio definire, adeoque decreta suo nomine inscribere, et solum subsignare. (Conf. Benedict. XIV, *De Synod. Dioeces. lib. 13, Cap. 1 et 2*).

b) Contra nihil posse extra sententiam Synodi (idest extra Synodum) aut saltem Capituli Cathedralis, tamquam synodicum decretum promulgare, nisi forte S. Congregatio Conc. eiusmodi vitium sanet (Benedict. XIV. *De Synod. Dioeces lib. 13, C. 1, n. ult.*) Diximus *tamquam synodicum Decretum*, quia non est dubitandum, Episcopum etiam extra Synodum habere ius ferendi leges, adeoque easdem posse auctoritate sua indicere.

Post Episcopum ii sequuntur, qui et vocari debent et adesse tenentur. Hi vero sunt.

I. Inter eos, qui a iurisdictione Episcopi non sunt exempti,

a) Si qui sunt Praelati, seu Abbates non exempti sive saeculares sive regulares (Benedict. XIV. *De Synod. Dioeces: l. 3, C. 1, n. 1.... 7*).

b) qui dignitatem habent, aut personatum, aut officia (Idem loc. cit. *C. 3, n. 1*);

c) Canonici ecclesiae Cathedralis (Idem loc. cit. *C. 4*).

d) Parochi (Idem loc. cit. *C. 5.*) et Vicarii curati

perpetui, adeoque non ad nutum amovibiles (Idem loc. cit. *C. 6, n. 5.* seq.).

e) Quibus consuetudo ius atque onus eiusmodi detulit (Idem loc. cit. *Cap. 6, n. 5.* seq.)

II. Inter eos qui a iurisdictione Episcopi eximuntur.

a) Parochi alias exempti sive regulares (Trid. *Sess. 24, Cap. 2. de reform.* Bened. XIV. loc. cit. *C. 1, n. 8.* seqq.); sive qui Praelato nullius subduntur, cuius territorium vel intra Episcopi dioecesim est, vel eiusdem Cathedrali est vicinus (Idem loc. cit. *C. 5, n. 3.*)

Qui porro ad posteriores classes pertinent, sunt

I. Qui praetermitti quidem possunt, sed, vocati si fuerint adesse tenentur

a) Vicarii tum generales tum foranei (Bened. XIV. loc. cit. *C. 3.*)

b) Canonici Collegiatarum saltem per suos deputatos, si extra locum morentur, ubi Synodus habetur (Idem loc. cit. *C. 4, n. 5.*).

c) Canonici iubilati (Idem loc. cit. *n. 6*).

d) Alii Ecclesiae Cathedralis beneficiati, qui canonici non sunt (Idem loc. cit. *n. 4.*).

e) Superiores Conventuum, qui sex habent religiosos, adeoque Episcopi iurisdictioni subduntur (Idem loc. cit. *C. 2, n. 3.* seqq.).

f) Abbates conventuum, quorum monasterium capitulo generali aliorum monasteriorum eiusmodi ordinis non subditur (Trident. *Sess. 24, C. 2. de reform.* Benedict. XIV loc. cit. *C. 1, n. 8.* seq.).

g) Quibus consuetudo tale onus dedit. Bened. XIV (loc. cit. *C. 6, n. 5.* seqq.).

II. Qui nonnullis tantum in casibus compelli ad Synodum possunt; idest si agatur vel de re ad omnes clericos pertinente, vel de morum disciplina, Clerici omnes sunt, qui vel simplex tantum beneficium obtinent (Benedict. XIV. loc. cit. *C. 6, n. 1.* seqq.)

Ad obligationes vero quod attinet quibus hi tenentur cum ad unam illam redigantur, ut ad Synodum accedant neque ab ea sine venia Episcopi recedere debeant, hinc duo tantum, quae inde dimanant, satis est animadvertisse.

a) Accedere negligentes arbitrio Episcopi puniendos esse, etiamsi quoad cetera exempti sint, excepta multa pecuniaria quoad regulares (Benedict. XIV. *De Synodo L. 3, C. 12, n. 1.* seqq.).

b) Qui legitima causa impediuntur, eam Episcopo significare debere, qui eamdem a iudicibus ad id deputatis examinandam curabit; legitimam vero causam esse gravem necessitatem, et nominatim quoad Parochos defectum alterius Sacerdotis, cui proprias oves committant, maxime vero si qui tunc in Paroecia periculose infirmantur (Idem loc. cit. *n. 3.* seqq.).

De obiecto Synodi dioecesanae haec dici possunt:

I. In genere illud versatur in iis quae pertinent ad rectam Dioecesis administrationem, praesertim vero ad morum disciplinam rite servandam: (Idem *L. 6*, *C. 1*, *n. 1.*); adeoque

a) In instruendis singulis circa propria officia, ac praecipue Sacerdotibus quoad rectam Sacramentorum administrationem (Idem loc. cit. *n. 3*); ita tamen ut de quaestionibus, quae in scholis agitantur nihil definiatur (Idem *L. 7*, *C. 1*, seqq.).

b) In abusibus publicisque vitiis detegendis corrigendisque (Idem *L. 6, C. 1, n. 3*).

c) In edendis legibus ad disciplinam custodiendam opportunis (Idem loc. cit.) ita tamen, ut nihil statuatur, quod iuris communis aut superioris cuiusvis potestatis constitutionibus contrarium sit (Idem *Lib 9. et 12*).

II. In specie ex iure et consuetudine in Synodo pertractantur quoque sequentia, quamvis etiam extra Synodum perfici ab Episcopo possint

a) Ut concilii provincialis, quod proxime actum sit decreta publicentur (Idem *Lib. 6, Cap. 1, n. 3.*)

b) Ut Cathedraticum Episcopo quotannis solvatur, decernatur et exigatur (Idem *Lib. 5, Cap. 6. et 7*).

c) Ut casus Episcopo reservandi definiantur (Idem *Lib. 5. et 4.* et seq.).

d) Ut redituum ratio a Seminarii deputatis exigatur (Idem *Lib. 5, C. 11*).

e) Ut examinatores synodales, qui scilicet per unius anni spatium parochialibus ecclesiis praeficiendos examini subiiciant, sex minimum, neque tamen plures quam viginti, omnesque idonei nominatim seu personaliter eligantur, et a Synodo per suffragia sive secreta sive publica approbentur ita, ut absque facultate S. Congregationis Concilii extra Synodum eligi nequeant; ex electis autem in Synodo si e senario numero aliquis intra annum deficiat, omnes ab officio cessant, neque alii suffici queunt absque eiusdem S. Congregationis facultate (Idem loc. cit. *Lib. 4, C. 7.* et seqq.).

Leges porro, quae Synodi moderantur celebrationem, tres item in classes, sicut de concilio provinciali dictum est, praestat distribuere; quarum aliae Synodum agendam disponunt, aliae coactam ordinant, aliae absolvunt. Priores hac lege continentur, ut praemittatur Synodi indictio a legitima persona legitimoque tempore ac modo facta.

I. Persona legitima ad indicendam Synodum is est qui eiusdem congregandae ius habet, sive qui episcopalem iurisdictionem proprie dictam habet; adeoque Synodum indicere

a) Potest suo iure 1.°) Episcopus; 2.°) Vicarius Capitularis, Sede vacante, dummodo a priore Synodo annus effluxerit; 3.°) Vicarius Apostolicus, qui ad Ecclesiam vacantem regendam missus sit (Benedict. XIV. *De Synodo Lib. 2, C. 5, n. 10.*)

b) Potest speciali mandato Summi Pontificis Vicarius Apostolicus qui Episcopo in sua Sede existenti datus sit;

Episcopi Vicarius generalis (Idem loc. cit. *C. 8. et 10*); excepto Cardinali Urbis Vicario, qui, si velit, potest sine speciali mandato Synodum Dioecesanam Romani Cleri indicere. (Idem loc. cit. *C. 3, n. 3.*)

c) Non potest Praelatus inferior, licet habeat territorium prorsus separatum, ibique iurisdictionem quasi episcopalem exerceat, nisi forte alterutrum concurrat 1.°) Privilegium Apostolicum, quo tale ius eidem conferatur; 2.°) Vetus consuetudo qua probetur, eius quoque praedecessores tali iure usos fuisse. (Idem loc. cit. *Cap. 11, n. 1.*)

II. Tempus quolibet saltem anno recurrit. (Trid. *Sess. 24, Cap. 2, de reform.* Confer. Benedict. XIV. *De Synodo Lib. 1, Cap. 6.*)

III. Modus his praecipue legibus temperatur:

a) Ut saltem per edictum generale, qui iure vel consuetudine vocari debent, vocentur, indicto die et loco, qui Ecclesia Cathedralis esse solet, quae si duplex forte sit, alternatim solet eligi ad simultates vitandas, licet Episcopo integrum sit in quolibet suae Dioecesis loco Synodum celebrare. (Benedict. XIV. *De Synodo Lib. 1, Cap. 5.*)

b) Ut populus quoque per singulas Paroecias praemoneatur ad preces pro felici exitu fundendas. (Idem *Lib. 5, C. 1.*)

Synodo iam coacta, leges quae eam ordinant hae fere sunt:

a) Quoad durationem, ut tres dies, nisi rerum agendarum necessitas aliud Episcopo suadeat, non excedat, qui dies propriis supplicationibus solent singuli consecrari, prout videre est in Pontificali Romano et apud Benedict. XIV. loc. cit. *Lib. 5, C. 1.*

b) Quoad ordinem in sedendo, ut primum locum habeat Episcopus qui pontificalibus vestibus indui solet: deinde sequuntur ceteri in sacris quisque vestibus, quae suae dignitatis suique ordinis propriae sunt. (Cfer. Benedict. XIV. loc. cit. *Lib. 3, C. 11;*) nimirum 1.°) Vicarius generalis; 2.°) Canonici et Beneficiarii Ecclesiae Cathe-

dralis, quatenus capitulariter interveniunt; 3.°) Abbates; 4.°) Canonici Ecclesiae Cathedralis, si forte uti singuli adsint; 5.°) Canonici Ecclesiarum Collegiatarum quae intra civitatem sunt, iuxta dignitatem et antiquitatem Ecclesiae suae; 6.°) Item qui extra civitatem sunt, eademque ratione habita; 7.°) Vicarii foranei qui Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum eatenus cedunt, quatenus hi capitulariter interveniunt; 8.°) Plebani seu Archipresbyteri rurales, nisi usus obtinuerit, ut una cum Parochis promiscue sedeant; 9.°) Parochi, qui non secus ac Plebani et Vicarii foranei iuxta tempus suae promotionis sedeant. (Bened. XIV. loc. cit. *Lib. 3, C. 10.*)

c) Quoad actus praevios, ut praemittantur; 1.°) quaedam ex doctis piisque theologis et canonistis Congregationes adiumentis conquirendis ad efficaciter suaviterque eradicandos abusus, quos Episcopus, interrogatis ea de re Vicariis foraneis, Parochis, Monialium confessariis, aliisque probis et prudentibus viris, gliscere in Dioecesi deprehenderit (Idem *Lib. 6, C. 1,*) 2.°). Deputatio Ministrorum Concilii, qui huiusmodi sunt: Praefectus hospitiorum, qui clericis advenientibus honesta hospitia paret; Promotor Synodi, qui celeriter ac fructuose omnia perficienda curet; Secretarius, qui futurae sessionis edictum affigi curet, Canonicos Cathedralis et insigniorum Collegiatarum ante primam sessionem nominatim per se vocet, inferiores autem clericos per socium, schedulas pro scrutinio, seu clericorum examine paret, denique ut ordine omnia fiant, studeat; Socius Secretarii seu lector, qui Synodi decreta alta voce legat; Notarius, qui absentes notet, eorum nomina, qui fidei professionem emittunt, scribat in fine cuiuslibet sessionis ad istantiam Procuratoris Synodi, denique eorum quae decreta ac gesta sunt instrumentum conficiat; Praefecti Synodales, qui clericos omnes singulatim ad se accersant, eorumque vivendi rationem inquirant, ita scilicet, ut singulis eiusmodi Praefectis certa pars cleri in schedula a Secretario eis tradita, assignetur; Procurator Cleri, qui

omnium nomine ea quae Clerus optat, ad Episcopum referat; Judices querelarum et excusationum, qui controversias de ordine sedendi componant et excusationes non accedentium examinent (Benedict. XIV. loc. cit. *L. 4, C. 1. et* seqq.); 3.°) Professio Fidei a Beneficiariis emittenda qui prima vice ad Synodum accedunt (Idem *Lib. 3, C. 2, n. 5* seqq.); 4.°) Lectio decretorum Concilii Tridentini de residentia (*Sess. 6, Cap. 1. de reform.*); tum etiam decretorum Concilii provincialis, quod forte actum proxime sit. (Idem loc. cit. *Lib. 3, cap. 2, n. 1 et 2.*)

d) Quoad ordinem rerum agendarum 1.°) ut constitutiones, quas Episcopus, audito Capitulo, scripsit, legantur idque ita, ut liberum episcopo sit eorum qui adsunt, sententiam requirere vel non (Idem loc. cit. *L. 13, Cap. 1.*) 2.°) ut peracta earum lectione (quae tres intra dies ut plurimum perfici solet), finis Synodo imponatur, impertita ab Episcopo tum clero tum populo benedictione, et quadraginta dierum indulgentia ab eodem concessa (Idem loc. cit. *L. 5, C. 1, n. 5*)

Restat, quod postremum est, nimirum Synodi publicatio de qua dicendum est 1.°) quomodo fiat; 2.°) qui sit eiusdem effectus. Itaque

I. Publicatio eo modo in genere facienda est, qui sufficiens sit ad decretorum notitiam afferendam iis, quorum interest; adeoque

a) Quoad decreta, quae solum Clerum respiciunt, vel per ipsam lectionem fieri potest quae in Synodo fit (Idem loc. cit. *Lib. 13, C. 4, n. 1.*)

b) Quoad decreta, quae ad totum populum spectant, vel per lectionem in ecclesia cathedrali, vel per edictum publice affixum, vel alio simili modo. (Idem loc. cit.)

II. Effectus est obligatio, quae ligat Episcopi subditos, qui in Dioecesi sunt (Idem loc. cit. *n. 13.* seqq.); idque ita, ut adversus ea nonnisi in devolutivo appellatio admitti possit. (Idem loc. cit. *C. 5, n. 12 et* seqq.)

CONCILIUM OECUMENICUM PRIMUM

NICAENUM I.

Quo tempore Constantinus Magnus, victo Licinio, tum in Oriente tum in Occidente summa rerum fuerat potitus, tot tantisque dissensionibus turbata erat Ecclesia, ut exinde teterrima pernicies rei christianae universae impenderet. Plures in Africa Episcopi occasione schismatis donatiani ab orthodoxia defecisse videbantur, quod et Ecclesiae notas male explicarent ac de Sacramentorum virtute minus recte sentirent. Alexandrini patriarchatus Episcopi alii ab aliis dissidebant, quod ex iis plures Meletio adhaererent, qui a S. Petro Episcopo Alexandrino plurium criminum caussa depositus, munere episcopali contumaciter fungi perrexerat. Apud Syros, Cilices et Mesopotamenos maxime invalescebat Quartodecimanorum error, qui contendebant adhuc decima quarta luna mensis primi cum Iudaeis celebrandum esse Pascha. At his calamitatibus longe deterior erat Ariana haeresis, quae de maximo fidei capite in plurimum animos dubitationem iniecerat, ac divisionem Orientis ab Occidente minitabatur.

His igitur Ecclesiae malis ut remedium afferretur, Constantino Orthodoxis opitulante, amplissimum Concilium rogatu Episcoporum ac Silvestri Pontificis nutu convocatum est die 20 maii [1] anno christiano 325 Nicaeae, quae urbs Bithyniae in Asia minori Metropolis erat.

1 Socrat. Hist. Eccl. I, 13.

Convenerunt Episcopi 318 omnes orientales, quinque exceptis. Inter eos eminebant viri non tantum vitae sanctimonia, sed etiam eruditione clarissimi [1], Alexander Patriarcha Alexandrinus cum suo diacono Athanasio, Eustathius Patriarcha Antiochenus, Macarius Episcopus Hierosolymitanus, duo Eusebii, Nicomediensis et Caesareensis, S. Nicolaus Myrae in Lycia Episcopus vitae sanctitate et miraculis toto orbe celeberrimus, Iacobus Nisibenus, Paphnutius Thebaidos, Spiridion Cypri Episcopus aliique quamplures, qui paulo ante fidem confessi fuerant in Diocletiani et Licinii persecutionibus.

Silvestri nomine, cui per aetatem Nicaeam petere non licuit, praesederunt Osius Cordubensis Episcopus, Vito et Vincentius romani presbyteri.

Antequam Constantinus advenisset, velitatum est cum Sophistis, quos ipse forte submiserat Arius, ut eius parti praesto essent. Postquam autem praestituta dies advenit, qua constitutum fuerat de rebus controversis in Synodo deliberare, congregati sunt Patres in loco ad sessiones habendas designato, dispositis utrinde sedibus, omnesque ex ordine consederunt. Postea Constantinus, imperatoris habitu, auro gemmisque collucens ingressus est. Cui cum omnes adsurrexissent, atque ille primo in ordine constitisset, aurea sed humili sella eidem parata non prius assedit, quam Episcopi adnuissent, qui post eum omnes sederunt. Tum unus ex Episcopis, qui dextrorsum primus erat, ait Eusebius, orationem habuit, qua Deo et Imperatori gratias egit. Post hunc Constantinus latinam dixit orationem, mox ab interprete graece redditam, qua tum Deo est gratulatus, tum Episcopos ad pacem et concordiam non solum inter se sanciendam, sed etiam Ecclesiae restituendam hortatus est.

Hoc Constantini facto et hortatu excitati Episcopi, pacatos animos ad cognoscendam Arii causam eo diligentius intenderunt. Disputatio inter ipsum et Athanasium

1 Euseb. Vita Const. III, 9.

coepit, quam altera subsecuta est inter Eusebium Nicomediensem Arii defensorem et Marcellum Ancyranum. Expensis improbatisque Arii placitis, saepius in medium adducti atque interrogati, subdola Eusebii Nicomediensis formula a Patribus reiicitur, altera qua Filii divinitas, hoc est communis ei cum Patre substantia, veteri vocabulo τοῦ ὁμοουσίου dedicabatur firmata est his verbis: « Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium creatorem. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei ex Patre natum unigenitum id est, ex substantia Patris Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt et quae in Caelo et quae in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelo, et incarnatus est, et homo factus passus et resurrexit tertia die. Et adscendit ad Caelos et iterum venturus est iudicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt: erat aliquando tempus quando non erat, et antequam nasceretur non erat, vel quod de non existentibus factus est, aut ex alia substantia, vel essentia esse dicunt, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica Ecclesia [1]. »

Post haec Arius anathemate perculsus eiusque liber, *Thalia* inscriptus, damnatus. Fidei et damnationi subscripserunt omnes, quinque exceptis, quorum duo tantum, Secundus ac Theonas, contumaces perstiterunt. Hi cum Ario, cui favebant, exilio multati sunt. Paulo post Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicaenus depositi et in exilium acti sunt quod, licet symbolum admitterent, Arii tamen depositionem non agnoverunt.

1 Dedimus heic symboli textum, qui in litteris Eusebii Caes. ad suam Ecclesiam invenitur, atque apud Athanasium *De Decretis Syn. Nicaen.* — S. Athanasius scribit hoc symbolum vix aliqua nulliusque plane momenti variatione expressum et in Epist. ad Iovinianum Imp. Prostat etiam apud Theodor., Hist. Eccl. l. 12, ap. Socratem I, 8, ap. Gelas. II, 25. Horum textuum comparatio facta est a Valch. *Bibl. Symb.* p. 75, et ab Augusto Hahn. Antiqua versio coptica huius symboli vel potius duo fragmenta huius versionis reperta sunt a Zoëga et vulgata ab Emo Pitra in *Spicil. Solesmensi*, T. I, p. 513.

Interea dum reluctantibus spatium resipiscendi datur, reliquae componuntur causae. Et quidem Paschatis festo contra Quartodecimanos adsignatur dies dominica proxime sequens plenilunium post aequinotium vernum occurrens.

Quoad alterum negotium, sancitum est a Patribus cum Meletio clementius agentibus, ut in propria civitate Lycopoli maneret, solo Episcopi nomine contentus, nullam vero muneris partem obiret.

Tandem pro ecclesiastica disciplina vel firmanda vel restauranda, conduntur Canones viginti, quorum summa haec est:

CANON I.

Prior Canon statuit ut ii qui aut propter languorem a medicis, aut per vim a barbaris evirati fuerint, in Clero permaneant, si ante abscissionem essent clerici, si autem laici ad clerum promoveri possint.

Statuit insuper ut ii qui seipsos evirarunt a clero deiiciantur, si sint clerici, nec umquam eis, si laici sint, ad clericatum aditus pateat.

Huic Canoni ansam praebuit Leontius presbyter, qui se ipsum eviravit, ut libere conversari posset cum muliercula, depositus propterea et deinde Arianus factus Episcopus. Potuit etiam factum Origenis, qui id ipsum egit, ut citra suspicionem sacras Litteras feminis enarraret, caussam Canoni praebuisse.

CANON II.

Alter Canon vetat recens baptizatum nec dum satis instructum, fieri Episcopum vel presbyterum, nam et *tempore opus est ei qui catechizatur et post baptismum probatione quamplurima.* — Statuit praeterea excludendum de clero illum, qui duobus aut tribus testibus convictus sit peccati gravis, (alibi « animalis »).

Nititur Canon Apostolico mandato: « Non neophytum ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. » Non est tamen divini iuris

sed ecclesiastici, unde nonnumquam datus est exceptioni locus propter Ecclesiae utilitatem, ut in Ambrosio.

Quamvis Canon expresse loquatur tantum de neophytis ex gentilitate, rationes tamen quibus fulcitur, militant pariter in quemlibet neophytum sive ex ethnico christianum, sive ex haeretico catholicum.

Secundam canonis partem intelligendam esse de peccato gravi (contra sextum praeceptum) per actum externum completo post baptismum susceptum, vix non certum videtur. Est enim haec sententia conformis Canoni Illiberitano XXX aliisque compluribus, qui non modo fornicarios ordinari vetant, sed praeterea ordinatos qui in huiusmodi crimen lapsi fuerint, de Clero amoveri iubent.

Zoëga reperit antiquam versionem copticam huius Canonis, quam Emus Pitra vulgavit Lut. Paris. an. 1852 in suo *Spic. Solesm.* Haec versio, non utique verbis, at sensu tamen cum graeco textu cohaeret.

CANON III.

Tertius Canon prohibet Episcopo, aut Presbytero, aut Diacono aut cuipiam alii qui in Clero sit, subintroductam habere mulierem, nisi forte sit aut mater, aut soror, aut amita, vel ex iis personis quae ab omni absunt suspicione.

Subintroductae mulieres, quarum meminit Canon, dicebantur viduae aut piae virgines, quae a Clericis assumebantur, ut ipsorum domestico obsequio et ministerio essent, simulque conviverent sororio vel quovis alio pietatis et caritatis nomine, unde et *Agapetae* nuncupatae sunt. Usus initio licitus, adeo subinde propter humanam infirmitatem noxius factus est, ut merito fuerit abrogatus.

CANON IV.

Quartus Canon statuit, ut omnes ac singuli eiusdem provinciae Episcopi conveniant ad novi ordinationem, quod si omnes facile convenire non possint, ordinatio a tribus saltem celebretur, absentibus scripto consentientibus. Firmitas tamen eorum quae geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuitur Episcopo.

Huius Canonis occasio exstitit Meletius, qui sine interventu Episcoporum Provinciae et sine Metropolitani Alexandrini approbatione, plures constituit Episcopos.

Quaeri potest utrum heic agatur dumtaxat de electione Episcopi, an etiam de ordinatione Episcopi recens electi. De utraque agi videtur. Diverso tamen modo Canon hic est intellectus a Graecis atque a Latinis. Graeci enim experientia moniti, quantum damni Principum participatio in Episcoporum electione afferret Ecclesiae, contenderunt, Canone Nicaeno ablatam Laicis suffragandi potestatem in episcoporum electione, quae unice commissa mansit Episcopis Provinciae. Ita Concilium oecumenicum VII. hunc Canonem intellexit et Concilium Oecumenicum VIII nova id lege sancitum voluit Can. 22.

In Ecclesia latina saepe in electionibus adhibitam fuisse etiam plebem, liquet ex multis exemplis et sacris Canonibus, ita tamen ut non ad eligendum, sed ad testimonium ferendum ea fuerit admissa. Circa dimidium Saec. IX usus *investiturarum* invaluit, quae quidem primum post electionem canonicam ritu minime damnando dari consueverunt, at deinceps electionum libertatem coeperunt sensim opprimere, ita ut ab ipsis Principibus saecularibus electiones reipsa fierent, pravam huiusmodi consuetudinem Romanis Pontificibus reprobantibus.

Saeculo XII ad solum Ecclesiae Cathedralis Capitulum ius eligendi devenisse constat ex toto Decretalium Titulo *De electionibus.*

Ab initiis vero saeculi XIV ac deinceps a ceteris Pontificibus per Reg. 2. Cancellariae eiusmodi ius revocatum est ad Apostolicam Sedem ac primo quidem absolute, deinde facta Principibus laicis potestate praesentandi sive unum, sive plures (non amplius tribus) electione dignos Sacerdotes, ex quibus si talem reperiret unum, Apostolica Sedes eligeret. (Cf. Bianchi *Dell'esterior polizia della Chiesa* L. I. Cap. IV).

CANON V.

Canone quinto sancitur, ut censurae ab Episcopis in laicos aut in Clericos latae sibi subditos, etiam apud provinciarum Episcopos valeant, ita ut tales laici vel clerici ab aliis Episcopis non recipiantur. Inquirendum autem iubetur, ne pusillanimitate aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, laici vel clerici modo memorati videantur a congregatione seclusi, atque ut haec inquisitio fiat, praescribitur annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis Provinciae congregatis, discutiantur huiusmodi quaestiones, et sic qui suo peccaverint evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus habeantur, donec

vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Praecipitur denique ut eadem Concilia ante quadragesimam et circa tempus autumnale celebrentur.

Caussam dedit huic Canoni Eusebius Nicomediensis Episcopus, qui Arium, ab Alexandro Episcopo Alexandrino segregatum, in communionem receperat. Fuit vetus Ecclesiae disciplina ut excommunicatorum nomina Episcopi non modo vicinis sed longinquis etiam Ecclesiis nuntiarent, ut ab aliis evitarentur, si forte ad ipsas accederent. Ceterum lex ista, a Patribus Nicaenis lata, invenitur in Can. Apostolico XXXIII. et concordat cum Can. XII. Concilii Antiocheni.

CANON VI.

Sextus Canon praescribit, ut antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam et Pentapolim ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae parilis mos est. Statuit similiter et apud Antiochiam caeterasque provincias suis privilegia servari Ecclesiis. Constituit denique ut si quis praeter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus pro Episcopo non sit habendus, sin autem communi cunctorum decreto rationabili et secundum ecclesiasticam regulam comprobato electio peracta fuerit, rata habeatur, quamvis duo aut tres propter contentiones proprias contradicant.

Hoc Canone, Meletiani schismatis occasione condito, abutuntur Protestantes exinde inferentes, Romanum Pontificem nihil iuris habuisse in reliquos Patriarchas eorumque Ecclesias. Sane Canon haud loquitur de Episcopo Romano ut Pontifice Maximo et Capite totius Ecclesiae sed ut Occidentis Patriarcha. (Cf. Zaccaria Diss. *De rebus ad histor. atque antiq. Eccles. pertinentibus*. T. I, n. 6).

Neque a veritate alienum est, Pontificem Max. uti Patriarcham Occidentis quodammodo conferri cum Patriarcha Alexandrino. Cum enim Episcopus sit Romanae Urbis suaeque provinciae Metropolitanus atque Italiam quidem ut Primas regat, Occidentem ut Patriarcha, universam vero Ecclesiam ut legitimus Petri successor et Christi Vicarius, non mirum si tanquam Episcopus cum aliis Episcopis comparetur, tanquam

Metropolita cum caeteris Metropolitis et sic de singulis infra supremam tamen dignitatem Pontificis Maximi, qua praesidet Ecclesiae universae atque omnibus supereminet.

Quaeri potest cur Antiochiae, quae prima fuit Petri Sedes tertius locus, et secundus Alexandriae tribuatur? Rem plane declarat Bellarminus *De Summo Pontifice* L. I, Cap. XXIV. asserens id esse, quod Alexandrinam Sedem rexit Marcus Evangelista, Antiochenam vero Evodius

CANON VII.

Septimo Canone decernitur ut Aeliae Episcopo deferatur antiqua honoris praerogativa, salva Metropolis propria dignitate.

Aeliae vocabulo Hierosolyma intelligitur, cui nomen indidit Aelius Hadrianus Imp. cum novam civitatem ad rudera dirutae vetustioris excitavit.

CANON VIII.

Octavus Canon statuit, ut quando Cathari ad Ecclesiam revertantur, si clerici sint in sua secta ordinati, maneant in Clero impositionem manuum accipientes, dummodo scripto promittant servaturos se leges catholicae Ecclesiae cumque bigamis ac lapsis communicaturos. Statuit praeterea, ut ubicumque sive in vicis, sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero in eodem habitu perseverent; ubi autem catholicae Ecclesiae Episcopum vel presbyterum constitutum quidam ex illis repererint, Episcopus catholicus retineat Episcopi dignitatem, is autem qui nominatur apud eos Episcopus, honorem presbyterii possideat, nisi forte placuerit Episcopo catholico nominis eum honori censeri. Si vero ei minime placuerit, comparabit ei aut chorepiscopatus aut presbyterii locum, ut in clero prorsus esse videatur, et ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.

Catharos, idest puros, se appellabant Novatiani, quod ab omnibus tam corporis, quam animae noxis mundos se iactabant.

Hoc Canone videntur Patres Nicaeni, pacis componendae gratia, de veterum Ecclesiae Canonum severitate aliquantulum remisisse. Vetus enim regula fuit, ut Episcopus aut Clericus in haeresi aut schismate ordinatus, seu in illam postmodum lapsus, numquam in suo gradu permaneret. Hoc autem beneficium vigore canonis nicaeni non posse ad alios quosvis haereticos extendi patet ex Act. I. Septimae Synodi oecumenicae.

Gravissima quaestio est de sensu quo intelligenda est. *impositio manuum*, a catharis conversis *recipienda*. Nonnulli intelligunt eam de reconciliatione seu de sacramento poenitentiae; alii de repetenda ordinatione; sed perperam utrique. Satius censemus per eam significari Sacramentum confirmationis quod Novatiani non recipiebant. Fundatur haec sententia in Can. VII. Concilii Laodiceni, ubi expresse iubentur Novatiani sancto chrismate inungi dum ad Ecclesiam revertuntur.

CANON IX.

Canone nono deponuntur Clerici, qui vel absque praevio examine promoti sunt, vel dum examinarentur, peccata sua confessi sunt.

Ex veteri Ecclesiae disciplina non admittebantur in clerum nisi qui non solum a crimine, sed etiam a criminis suspicione immunes forent. Cum vero deinde sine delectu ac probatione interdum homines nequam in clerum cooptarentur, Nicaeni Patres gravissimo huic detrimento praecavendo, hunc Canonem condiderunt. Examen porro, quod iniungitur, non de scientia dumtaxat, verum etiam de moribus instituendum erat, ut liquet ex parte secunda.

Peccata de quibus agitur sunt blasphemia, bigamia successiva, haeresis, idololatria, magia etc., ut in paraphrasi arabica explicat Iosephus. (Cf. Beveregium *Synodicon seu Pandectae Canonum T.I.p.70*).

CANON X.

Canon decimus deponit Clericos, qui post lapsum fuerunt ab Episcopo seu per ignorantiam seu per dissimulationem promoti.

Recte monet Card. Baronius, ex acerba Licinii persecutione immensum prodiisse lapsorum numerum, qui huic Canoni aliisque compluribus sanciendis occasionem praebuerunt. Differt autem a nono de-

cimus hic Canon, cum agat de solis lapsis ac de eorum promotione, non modo ad presbyteratum, sed etiam ad alias quascumque ecclesiasticas dignitates. Non dicitur quaenam esset poena irroganda Episcopo, qui scienter unum ex illis ordinasset, at certum est lapsos nulla ratione potuisse adsciscì ad ordines, etiamsi poenitentiam explevissent.

CANON XI.

Canon undecimus sponte lapsos, hoc est neque tormentorum vi, neque ullo vitae vel facultatum discrimine subactos, admittit ad reconciliationem, modo tamen per triennium inter audientes et per septennium inter substratos poenitentiam agant, duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

Mitigatur heic priscus rigor, ac statuitur simul ut idololatriae crimen patratum post baptismum diuturna et laboriosa poenitentia expietur, quae licet quatuor in stationes sive gradus apud veteres Patres et Canones distributa occurrat, nempe *Fletum*, *Auditionem*, *Substrationem* et *Consistentiam*, Concilium tamen Nicaenum nostro Canone supra memoratos lapsos in persecutione Licinii varios annos in tribus gradibus exigere iubet, nulla *Fletus* mentione facta. Neque mirum videri debet si aliquando de poenitentiae gradibus ac tempore nonnihil fuerit detractum. Erat enim penes Episcopos illud protrahere et per omnes aut plures gradus transigendum iubere. Quid vero per quatuor poenitentiae gradus intelligendum sit egregie explicat S. Basilius in Ep. ad Amphilochium, maxime tamen Can. LXXIV ubi decernit, ut qui incestum cum propria sorore commiserit „ triennio defleat „ stans propter fores domus oratoriae et rogans populum ingredientem „ ad orationem, ut unusquisque pro ipso misericorditer ad Dominum „ intensas fundat preces. Postea autem alio triennio ad solam audi- „ tionem admittatur et Scripturam ac doctrinam audiens eiiciatur et „ nec oratione dignus habeatur. Deinde, siquidem illam cum lacrymis „ exquisivit et Domino cum cordis contritione et valida humiliatione „ supplex procidit, detur ei substratio in aliis tribus annis. Et sic „ postquam poenitentiae fructus dignos ostenderit, decimo anno in „ fidelium orationes suscipiatur sine oblatione et cum duobus annis una „ cum fidelibus ad orationem substiterit sic deinceps habeatur boni communione. „ Ita S. Basilius cuius verba poenitentiae gradus non enunciant modo, sed etiam explicant omnes, excepto tertio, quae *substratio* ideo dicitur, quia post Catechumenorum et Energumenorum

dimissionem super prostratis poenitentibus preces cum manuum impositione recitabantur. Exterior poenitentium habitus erant pullae vestes cinere conspersae, sacci, cilicia, squalor capitis inculti totiusque corporis neglectus. (Euseb. L. V. *hist. Eccl.*)

Quo autem saeculo in Ecclesia Orientali et Occidentali memoratorum poenitentiae graduum ac laboriosae satisfactionis disciplina exsoleverit non est facile definire, fatendum tamen est a Saeculo IX poenitentiae publicae rigorem in desuetudinem abiisse.

CANON XII.

Canon duodecimus post triennium inter auditores expletum, ad decennium in substratione transigendum damnat eos, qui *deponentes militiae cingulum, postmodum ad proprium vomitum relapsi* pecunia et beneficiis militiam repetunt. Iubet tamen in his omnibus propositum et speciem poenitentiae accurate explorari, quotquot enim metu et lacrymis atque patientia vel bonis operibus, sinceram conversionem suam, demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent, postmodum licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque vero indifferenter tulerunt et aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

Dum postrema cum Constantino praelia committeret Licinius se constituerat tamquam patriae superstitionis adsertorem et coryphaeum, quare totius belli exitus non tam erat alterutrius pugnantis, quam vel ethnicismi vel christianae religionis triumphus in urbe principe orbis terrarum. Hinc haberi poterat ut *lapsus* quicumque hoc in bello causam Licinii suscepisset, eo vero magis hoc censu habendi erant qui cum militiam deseruissent, ne profanis ritibus se inquinarent, postmodum mutato consilio, pecuniam etiam largiti fuerant ut iterum militiae adscriberentur. Ubi notandum est Licinium, ut Zonaras ac Eusebius narrant, a militibus requirere consuevisse formalem apostasiam eosque compulisse ad participandum sacrificiis paganis, ac renuentes, militia expulisse. Hinc patet falsum esse, Concilium Nicaenum generatim militare servitium hoc Canone interdicere, quod Lutherus ac Brentius contenderunt ut Nicaenam Synodum erroris arguerent. (Cf. Ma-

machi Orig. Christ. T. I, p. 371; III p. 303 et seqq. IV. p. 41. Lami *de erud. apost.* p. 195 et seq.; Boumgarten. *Examen sententiae veterum christianorum de militia.*)

CANON XIII.

Decimo tertio Canone praescribitur, ut qui periculose aegrotant ultimo et maxime necessario viatico minime priventur. Quod si desperatus aliquis accepta communione convaluerit, sit inter eos, qui in oratione sola communicant donec tempus statutum impleatur. Decernitur tandem ut cuilibet in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus ex oblatione dare debeat (alibi « postquam probaverit »).

Disputant Interpretes de significatione verborum *Viaticum* et *Communio.* Zonaras enim et Balsamon sacramentalem absolutionem et communionem eucharisticam designari putant. Alii contra advertentes *viaticum* de quo mentio est in prima Canonis parte, idem non esse ac Communio de qua in secunda, viatici nomine intelligunt sacramentalem absolutionem. Cum enim Canon agat de *maxime necessario viatico* non videtur quomodo de Eucharistia, quae absolute ad salutem necessaria non est, intelligi queat. Ita cum Albaspinaeo Morinus, Binius, Lupus, aliique.

CANON XIV.

Decimo quarto Canone Catechumeni, qui lapsi fuerint, trium annorum audientia damnantur, quibus transactis ad orationem cum aliis catechumenis faciendam admittuntur.

Cum catechumeni proprie ad Ecclesiam non pertineant, eorum lapsus non poterat eiusdem gravitatis censeri ac lapsus fidelium, nec erat proinde eadem poena multandus. Porro Catechumeni fuerunt iam olim a primis saeculis in classes seu gradus varios distincti per quos sensim ad baptismum disponebantur et quasi gradatim ascendebant. Primo enim infideles declarabant se Christi fidem amplecti velle, tum privatim in aliqua domo prima christianae religionis principia et fundamenta docebantur, quod munus erat Diaconorum aliorumque inferiorum clericorum, ut colligitur e S. Augustini tractatu *De catechizandis rudibus*. Deinde in Ecclesiam admittebantur concionibus au-

diendis, quare *Audientium* nomen nacti sunt. Postquam hoc in ordine excipiendis sacris instructionibus sedulam operam impendissent, ad altiorem gradum promovebantur, quo participes fierent precum atque exorcismorum qui super catechumenos fundebantur, unde *Orantes* appellati sunt. De his duobus ordinibus loquitur Canon Nicaenus. Nonnulli auctores, inter quos Bingham et Neander, contendunt saeculo IV. tertiam etiam classem extitisse cathecumenorum, qui nempe, postquam in primis duobus gradibus satis essent exerciti, a reliquis segregati ad baptismum suscipiendum idonei iudicabantur. His nomen erat *Electorum* vel *Competentium*.

CANON XV.

Decimo quinto Canone prohibentur translationes Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum a civitate ad civitatem. Siquis autem tale quid agere tentaverit, factum irritum declaratur, quique ad aliam ecclesiam transierit, restitui iubetur ecclesiae, cuius fuit Episcopus aut presbyter vel diaconus ordinatus.

Translatio Episcopi vel presbyteri aut diaconi ab una ecclesia ad aliam, iam vetita erat in Ecclesia primitiva ut liquet ex Can. Apost. 13 et 14. Plures tamen translationes habuerunt locum et in Concilio Nicaeno ipso inveniebantur viri eminentes, qui sedem suam episcopalem reliquerant, ut aliam susciperent. Ita Eusebius Nicomediensium Episcopus factus est, qui fuerat antea Beryti; ita Eustathius Antiochenorum Episcopus, postquam Beroeensem Ecclesiam prius gubernasset. Has translationes Nicaena Synodus prohibuït easque post factum invalidas declaravit. Iusta canonis ratio turbae fuerunt ac seditiones ex translationibus dimanantes. At, his etiam sepositis, habitudo ipsa Clerici ad Ecclesiam in qua ordinatus est, huiusmodi legem requirebat. Etenim inter clericum et Ecclesiam spirituale quoddam intercedit coniugii foedus quod cuilibet immutationi opponitur. His tamen non obstantibus, in orientali Ecclesia crebriores leguntur Episcoporum translationes, rarae admodum et serius admissae in Occidentali. Et quidem in Romana Ecclesia primus infaustum translationis exemplum praebuit Formosus, ut inquit cl. Mabillon in praef. ad saeculum V. Benedictinum § I. n. 6.

CANON XVI.

Canon decimus sextus praecipit ut Presbyteri, Diaconi, ac generatim Clerici qui contemptu legum ecclesiasticarum propriam ecclesiam relinquunt, in alia non recipiantur, sed proprias paraecias repetere iubeantur, quod si facere renuant communione priventur. Vetat insuper ne quis clericum ad aliam pertinentem Dioecesim in sua Ecclesia ordinare audeat non consentiente Episcopo a quo ille discessit, irritamque talem promotionem esse iubet.

Postremis hisce verbis intelligitur iuxta Morinum ordinatio irrita ac nulla non modo quoad exsecutionem, sed etiam quoad characterem. Ecclesia quippe, ait Morinus, prioribus saeculis inhabilem reddiderat Episcopum ad ordinandum alienum Clericum. Ab aliis tamen intelligitur ordinatio quae irrita sit quoad exsecutionem seu ordinis exercitium, sed quae valeat quoad characterem.

CANON XVII.

Canon decimus septimus Clericis omnibus prohibet centesimas ex mutuo exigere; si quis vero inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipere aut ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam in Graecis dimidias centesimas (hemiolas) frugum ad sescuplum dare: omnem qui tale aliquid commentus fuerit ad quaestum, decernitur excidendum esse de clero et alienum habendum ab ecclesiastico gradu.

Centesima genus est usurae, quae ex centum nummis, duodecim nummos annuos parit et centesimo mense aequat sortem, unde eius nomen tractum est, vel ex eo quod sortis pars centesima singulis mensibus praestabatur, veteres enim in singulos menses usuras stipulari consuevisse liquet ex Lege *Lecta ff. de rebus creditis.*

Hemiola ex Zonara est dimidia pars centesimae, quae reddebatur ita ut ex mutuo unum cum dimidio, hoc est sescuplum, reciperetur. Utraque usura Imperatorum legibus erat permissa ut constat ex Lege prima Codicis Theodosiani *De usuris.* Non obstante tamen hac per-

missione, decernit Nicaena Synodus, ut clericis non gravissimarum solum sed et mediocrium usurarum exactio sit interdicta.

CANON XVIII.

Canon decimus octavus vetat 1) ne Diaconi sacrae communionis gratiam presbyteris porrigant; 2) ne sacra oblata ante Episcopos contingant; 3) ne ipsi ante, sed post Episcopos et presbyteros eamdem communionis gratiam recipiant: 4) ne iidem Diaconi sibi ipsis communionem impertiantur, sed eam aut ab Episcopo, aut a presbytero recipiant; 5) ne sedeant in presbyterorum consessu. Siquis autem obedire noluerit, a ministerio cessare debere statuitur.

Quod ad primam Canonis partem, certum est primis Ecclesiae saeculis ministros sacrae communionis fuisse Diaconos. Hoc autem non prohibet Canon, sed tantum vetat ne illam Presbyteris administrent, quia scilicet *nec regula nec consuetudo tradidit ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.* Quoad reliquas tres Canonis partes, notandum est, solemne olim fuisse cum apud Latinos tum apud Graecos, ut unum ac idem sacrificium a pluribus interdum celebraretur, qui ritus adhuc apud Graecos servatus, apud Latinos in solis Episcoporum ac Presbyterorum ordinationibus mansit.

Quod demum ad postremam Canonis partem vetantem, ne Diaconi sedeant in presbyterorum consessu, ratio exhibetur perspicua, quia scilicet id praeter regulam et ordinem esse convincitur. Quid enim prisci Canones frequentius inculcant, quam ut Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus obsequium praestet? Idipsum diserte traditur in Constitutionibus Apostolicis et in Concilio Laodicaeno Can. XX.

CANON XIX.

Canone decimonono definitur, Paulianistas ad Ecclesiam redeuntes baptizari debère. Si qui autem eorum fuerint in clero, siquidem immaculati et irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinari possunt ab Episcopo Ecclesiae Catholicae; quod si discussio incongruos eos invenerit, abiiciantur. Statuitur insuper idem privilegium extendi

debere ad Diaconissas, quae apud memoratos haereticos manuum impositionem accepissent.

Baptisma Paulianistarum laborabat vitio substantiali in ipsa forma, hinc rebaptizandos iubet Canon eos, qui ad Ecclesiam catholicam redirent.

CANON XX.

Canone vicesimo cavetur ne quis die dominico aut diebus Pentecostes genua inter orandum flectat, ut omnia in omnibus consonanter observentur.

Ad recolenda ineffabilia fidei nostrae mysteria, inde ab aevo Apostolorum, festi dies per anni curriculum indicti fuerunt, qui summa religione certis ritibus ac caeremoniis ubique terrarum a fidelibus observarentur. Huius generis sunt dies dominica et sacra illa quinquaginta dierum series, quae inter Pascha et Pentecosten decurrit. Quo tempore etiam in sacris Synaxibus, non sine mysterio, fideles stantes orabant. Unde cum Quartodecimani haeretici, aliique etiam pravo, ut credere par est, ipsorum exemplo, Resurrectionis Dominicae immemores, genua flecterent, Patres Nicaeni ad decretum de celebrando Paschate hunc Canonem addiderunt. Veterem hanc Ecclesiae disciplinam consignatam habemus apud Tertullianum qui in Lib. de corona militis Cap. III. ita scribit « die dominico ieiunium nefas ducimus et de geniculis adorare, eadem immunitate a die Paschae usque ad Pentecosten gaudemus. »

Post haec Patres synodicam epistolam scripserunt ad ecclesias per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim constitutas qua eas certiores reddiderunt de omnibus quae in Concilio fuerant definita et decreta. Constantinus ipse Imp. litteras scripsit ad omnes ubique ecclesias, quibus declaravit Synodi decreta tamquam Imperii leges habendas esse atque ad ea observanda hortatus est ea potissimum ratione quod sancita a tot Episcopis in Spiritu Sancto congregatis, tanquam Dei effata censenda sint. Tres porro ex his epistolis servarunt nobis Eusebius, Socrates, et Gelasius. Synodi acta ad Silvestrum Pont. Max. delata sunt, qui ea probavit confirmavitque.

CONCILIUM SARDICENSE

Undeviginti vix anni defluxerant a damnatione arianae haeresis a Patribus Nicaenis lata, cum haec caput iterum extollere novasque vires colligere visa est, adnitentibus potissimum Eusebio Nicomediensi, Theognide Nicaeno, Asterio Sophista, Ursacio Singidunensi, aliisque id genus Episcopis. Hi primum quidem occulte dum viveret Constantinus, subinde vero eo defuncto, freti praesidio Constantii Augusti, Nicaenae Synodi fidem aperte convellere ac Pastores Catholicos, vi etiam adhibita, ad suas partes trahere aggressi sunt.

In Athanasium Alexandrinum Episcopum furorem illi suum in primis converterant, quem strenuum Arianorum omnium exagitatorem ac invictum *homousii* adsertorem Deus iis temporibus Ecclesiae suae dederat.

In tanta rerum perturbatione, Iulius Romanus Pontifex, ad componendas inimicitias Orientalium cum Occidentalibus, qui pro Nicaena fide certabant, litteras dedit ad Constantem Occidentis Imperatorem eiusque opem imploravit.

Constans saepe apud fratrem suum Constantium institerat, ut tantae rei causa, Concilium magnum celebrari pateretur, quod tandem urgendo instandoque obtinuit. Hinc litterae ad omnium Provinciarum Episcopos transmissae sunt, quibus Synodus Sardicae in utriusque Imperii confinio indicebatur.

Extremo mense anni 343 convenere Episcopi centum septuaginta, quorum septuaginta sex Eusebiani.

Iulii R. P. personam gesserunt Archidamus et Philoxenus presbyteri atque Osius Cordubensis Synodo ipsi praesedit. Adfuit et Athanasius cum sociis, ut crimina quorum postulati fuerant depellerent.

Verum Eusebiani, qui Sardicam inviti petierant, tot Episcoporum consensum veriti, quos nulla se fraude circumvenire posse sperabant, venturos se in Synodi conspectum negarunt, nisi prius Athanasius eiusque asseclae pedem inde extulissent. Quod cum Sardicenses Patres negassent, clam Philippopolim in Thracia secesserunt, pseudo-synodum ibidem habituri praeside Stephano Antiocheno Episcopo. Nova fidei formula ibi procusa, homousion damnarunt, adversus Athanasium et socios sua confirmarunt decreta, ac Iulio R. P. Osio caeterisque orthodoxis Praesulibus edixerunt anathema, praetexta causa, quod Athanasio aliisque Episcopis in Tyrii Synodo damnatis patracinarentur.

Tantam vero audaciam non tulerunt Sardicenses Patres atque in eos ut desertores, piorum omnium criminatores, fideique orthodoxae impugnatores anathema conclamarunt. Agitatum est deinde iudicium de Athanasio ab Eusebianis damnato citatique tum accusatores tum qui sententiam in eum tulerant, ut et criminum et sententiae causas rationesque proferrent. Hi spreto vadimonio pertinaci animo obstiterunt.

Relecta sunt Acta Tyrii Conciliabuli atque ad examen revocata decreta Concilii Romani et quaecumque Eusebianorum Legati eadem in causa apud Iulium P. M. Romae protulerant contra Athanasium, cunctisque perpensis, praeclarum testimonium editum est de innocentia Athanasii Alexandrini, Marcelli Ancyrani, Asclepae Gazenzis: contra vero Eusebianorum primores loco moti atque ab Ecclesia eiecti sunt.

Ceterum nullum fidei symbolum ediderunt Patres, rati Nicaenum sufficere quod confixas ostenderet haereses ac triumphatas testaretur. Novam formulam quam adversarii Philippopoli ediderant Concilii Sardicensis nomen mentiti, ut adulterinam ac supposititiam abrogant atque rescindunt.

Post haec Patrum reliqua cura fuit ut Cleri moribus, Ecclesiae administrationi dignitatique prospicerent, ac appellationibus Episcoporum ad Rom. Pontificem eam formam tribuerent, quae supremo Iudici consentanea magis videretur.

Canones prout exstant in versione latina Dionysii Exigui sunt sequentes :

CANON I.

Canone primo prohibetur Episcopo a sua sede ad aliam immigrare, qui vero hoc ausus fuerit etiam laicorum communione privatur.

CANON II.

Canone secundo praescribitur ut si quispiam eiuscemodi Episcopus adeo vecors fuerit, ut excusandae immigrationis suae gratia asseveret, se invitatum populi litteris aliam Ecclesiam suscepisse, cum manifestum sit potuisse paucos praemio et mercede corrumpi, eos nimirum qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia et ipsum petere viderentur Episcopum. is ne laicam quidem in fine communionem accipiat.

CANON III.

Canone tertio sancitur ut Episcopus de sua Provincia ad aliam in qua sunt Episcopi non transeat, nisi forte a fratribus suis invitatus. Quod si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit,

neuter ex alia provincia advocet Episcopum cognitorem. Quod si quis Episcoporum iudicatus fuerit in aliqua causa et putat se bonam causam habere ut iterum concilium renovetur, scribatur ab his qui causam examinarunt Iulio Rom. Episcopo et si ipse iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur et det iudices, sin autem probaverit talem causam esse ut non refricentur ea quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt.

CANON IV.

Canone quarto cautum est ut cum aliquis Episcopus fuerit depositus iudicio Episcoporum, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma, alter Episcopus in eius cathedra post appellationem eius qui videtur depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi romani determinata.

CANON V.

Canone quinto decernitur ut si Episcopus accusatus fuerit et Episcopi congregati regionis ipsius iudicaverint et de gradu suo eum deiecerint, si appellaverit et confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae et voluerit se audiri: si (R. Pontifex) iustum putaverit ut renovetur iudicium (vel discussionis examen) scribere coepiscopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant et iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum ut de latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi romani quid velit et quid aestimet. Et si decreverit mittendos esse qui praesentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos sufficere ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit.

CANON VI.

Canone sexto decernitur ut si contigerit in una provincia in qua plurimi fuerint Episcopi, unum forte remanere Episcopum, ille vero per negligentiam noluerit ordinare Episcopum, et populi convenerint, Episcopi vicinae provinciae debent illum prius convenire Episcopum, qui in ea provincia moratur et ostendere quod populi petant sibi rectorem, et hoc iustum esse ut et ipsi veniant et cum ipso ordinent Episcopum; quod si conventus litteris tacuerit et dissimulaverit nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis ut veniant ex vicina provincia Episcopi et ordinent Episcopum.

Licentia vero danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter, quia non est necesse ibi Episcopum fieri ne vilescat nomen Episcopi et auctoritas, sed fieri debet aut in his civitatibus quae Episcopos habuerunt, aut quae populosae sunt.

CANON VII.

Canone septimo decernitur ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi forte religiosi Imperatoris litteris invitati vel evocati fuerint, vel accedant ad petendam indulgentiam pro illis qui iniuriam patiuntur vel exilio damnati vel alia poena affecti sunt.

CANON VIII.

Canone octavo statuitur ut quicumque memoratas preces acceperint, eas per Diaconum suum mittant, quia persona ministri invidiosa non est et quae impetravit celerius poterit referre.

CANON IX.

Canone nono edicitur quod cum Episcopus preces mittit Metropolitano quas ad Curiam Imperialem pervenire destinat, Metropolitanus has preces per diaconum transmittere debet et eidem commendatitias epistolas dare pro Episcopis qui in urbe morantur in qua Imperator gubernat.

Si vero habet Episcopus amicos in palatio, non prohibetur eos per diaconum suum rogare quos scit benignam intercessionem sibi absenti praestituros.

Episcopi qui Romam venerint ad eorum preces exhibendas (Imperatori), Romano Episcopo eas primum tradere debent, ut et ipse prius examinet si honestae et iustae sint et praestet diligentiam atque sollicitudinem, ut ad comitatum perferantur.

CANON X.

Canone decimo statuitur ut si dives aut scholasticus de foro aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur quam et lectoris munere et officio diaconi aut presbyteri fuerit perfunctus et ita per singulos gradus, fide, modestia, gravitate et verecundia eius probata, si dignus fuerit ascendat ad culmen episcopatus. Conveniens enim non est, nec ratio vel disciplina patitur ut temere et leviter ordinetur aut Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui neophytus est.

CANON XI.

Canone undecimo statuitur ut Episcopus si ex alia civitate convenerit ad aliam civitatem, vel ex provincia sua ad aliam provinciam, et ambitioni magis quam devotioni serviens, voluerit in aliena civitate multo tempore residere, non debet Episcopum loci quem non tam instru-

ctum neque tam doctum invenerit contemnere, nec frequenter sermonem facere, ne illius personam dehonestet et auctoritatem infirmet, haec enim agendi ratio dubium ingereret se velle relinquere assignatam sibi Ecclesiam et ad alienam transire. Quod ne accidat decernitur, ne Episcopus ultra tres hebdomadas a sua Ecclesia absit sine magna necessitate.

CANON XII.

Canone duodecimo praescribitur ut Episcopi qui in alia civitate praedia possident, possint in ea morari colligendorum fructuum causa per tres hebdomadas, die dominica tamen in illis locis sacrum officium peragant ubi alias presbyter sacra facere consuevit.

CANON XIII.

Canone decimotertio decernitur Episcopum non debere in communionem recipere Diaconum vel presbyterum vel clericum a proprio Episcopo communione privatum, quod si fecerit convocatis Episcopis causas erit dicturus.

CANON XIV.

Canon decimus quartus statuit quod si Episcopus quis forte iracundus cito et aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum et exterminare eum de Ecclesia voluerit, datur eidem potestas interpellandi finitimos Episcopos, qui causam eius cognoscent ac discutient. Attamen priusquam omnia diligenter et fideliter examinata fuerint, nemo deiectum communioni sociabit. Hi vero qui conveniunt ad audiendum, si viderint clericorum esse fastigium et superbiam, severioribus eos verbis castigent ut obediant praecipienti Episcopo; quia sicut ille clericis sincerum debet exhibere amorem caritatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere absequia.

CANON XV.

Canon decimus quintus statuit ut quicumque ex alia parochia voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius et sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio eius. Quicumque autem hoc usurpaverit a fratribus et coepiscopis et admoneri debet et corrigi.

CANON XVI.

Canon decimus sextus praescribit presbyteris et diaconis, qui ex aliis regionibus in civitatem Thessalonicae se conferre ibique indefinite morari solebant, observanda ea quae Can. XI pro Episcopis statuta sunt.

CANON XVII.

Canon decimus septimus decernit ut si quis vim perpessus est et inique expulsus pro disciplina et confessione catholica vel pro defensione veritatis et ad pericula effugienda innocens ac devotus in aliam perrexerit Civitatem, non prohibeatur ibidem versari, quousque aut redire possit, aut iniuria eius remedium acceperit.

CANON XVIII.

Canone decimo octavo ut omnis discordiarum causa submoveatur, proponuntur suscipiendi, qui per Museum et Eutychianum constituti sunt.

CANON XIX.

Canone decimonono patientia et misericordia erga omnes consulitur. Qui educati sunt in statu ecclesiastico ab aliquo Episcopo et redire ad sibi concreditas ecclesias detre-

ctant, non esse recipiendos decernitur. Postremo praecipitur ne Museus et Eutychianus titulum Episcopi usurpent ad quem nullum ius habent, iisdemque communio laica indulgeatur si eam petant.

CANON XX.

Canone vicesimo statuitur ut si aliquis Episcopus contra omnium sententiam nisus, voluerit ambitioni magis placere quam Deo, is causis redditis, honorem dignitatemque amittat; quod ita compleri poterit, si unusquisque Episcopus qui in canali constitutus est, cum progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum eius, causas examinet, quo tendat agnoscat, et siquidem eum invenerit ire ad comitatum, requirat an forte invitatus accedat, quo in casu facultas eundi concedatur, secus si ambitione ductus ad comitatum pergat, nec litteris eius subscribatur, neque in communionem recipiatur [1].

1 Canon iste in textu latino, alio loco invenitur ac in textu graeco scilicet post Can. 7-9.

CONCILIUM OECUMENICUM SECUNDUM

CONSTANTINOPOLITANUM I.

Constantio et Valente Imperatoribus, tres potissimum haereses pullularunt ex Ariana, quam Nicaena ac Sardicensis Synodus succidisse videbantur. Auctor primae fuit Macedonius, quem Constantius, eiecto Paulo, Constantinopolitanae Ecclesiae praefecerat. Docuit autem, postquam de sede Constantinopolitana et ipse expulsus est, Spiritum Sanctum non eiusdem cum Patre et Filio honoris participem sed creaturam utriusque ministrum esse. Ex quo eius sectatores a Graecis pneumatomachi sunt appellati.

Alterius sectae antesignanus fuit Aëtius, qui diaconatu insignitus a Georgio Arianorum et Meletianorum Episcopo, cumque Eunomio coniunctus, Filium non eiusdem esse cum Patre substantiae, sed primam et eximiam Patris creaturam, Spiritum vero ante alias creaturas a Filio conditum commentus est.

Tertia haeresis ex Ariminensi conventu Valentis et Ursacii fraudibus eruperat, qui cum Filium Deum ex Deo et Patri similem nec creaturam ut aliae creaturae sunt conclamassent, catholicos Episcopos decipere atque in suas partes trahere nitebantur.

His accedebat haeresis Photini quem cum Paulo Samosatensi et Sabellio sentientem Syrmiensis Synodus dam-

naverat, ac haeresis Apollinaris, qui recepta humanae naturae tricotomia Christo Domino humanum corpus dumtaxat et animam, spiritus seu mentis expertem tribuebat eumque non aeternum sed temporalem esse docuit.

Theodosius Imperator post praeclaram legem pro fide catholica Thessalonicae latam, qua cunctos populos sibi subiectos eam religionem profiteri voluit, quam Pontificem Damasum et Petrum Alexandriae Episcopum sequi constaret, ad increbrescentes haereses coercendas, atque ecclesias in unitate verae fidei consociandas, consensu Damasi Pontif. Max. Concilium Cpoli indixit solis Orientalibus, ex quibus centum quinquaginta Episcopi convenerunt. Quamvis vero nullus ex occidentalibus adesset, attamen Damasus eodem tempore Romae Synodum congregavit in eumdem finem atque ita illa duo Concilia locis quidem disiuncta, animis vero et sententiis unita, in unam generalem Synodum coaluisse censenda sunt.

Habitum fuit Concilium Constantinopolitanum an. 381 a Kalendis Maii ad finem Junii. Inter congregatos Praesules adfuit Gregorius Nazianzenus, qui diuturnis laboribus exantlatis, ac innumeros passus Arianorum conflictus, ne catholicorum quidem effugerat invidiam. Aegyptii enim Episcopi Maximum philosophum Cynicum tumultuariis suffragiis in episcopatu ei suffecerant. Aderat Gregorius Nyssenus magni Basilii frater eidemque non magis consanguinitate, quam eximiae pietatis doctrinaeque laude coniunctus. Cyrillus item Hierosolymitanus, qui multis insectationibus conflictatus ob homousii defensionem, egregie cum Arianis pugnaverat.

Cum autem in spem venisset Theodosius Imp. fore, ut Macedoniani ac Semiariani ad concordiam redirent, eos quoque accersendos curavit. Horum e solo fere Hellesponto triginta sex, duce Eleusio Episcopo Cyziceno, advenerunt.

Pontifex Maximus nec per se, nec per Legatos praefuit. Hinc initio quidem Meletius Antiochenus Episcopus, eo vero defuncto, Gregorius Nazianzenus et post eius di-

missionem Nectarius Constantinopolitanus episcopus, Concilio praefuerunt.

Príncipio Maximum Sedis Constantinopolitanae invasorem Patres declararunt, Gregorii Nazianzeni probata et confirmata electione. Cum subinde, mortuo Meletio, de successore eligendo Ecclesiae Antiochenae ageretur, et contenderet Gregorius nullum in eius locum subrogandum, nisi post mortem Paulini, qui alter erat Antiochenorum Antistes, ne duo in eadem urbe essent Episcopi, haec sententia offensionem plurimorum incurrit, qui Meletio sufficiendum conabantur Flavianum Episcopum ut revera factum est. Hinc Gregorius graviter offensus a Synodo discessit.

Inter haec Constantinopolim pervenit cum suis Aegyptiis Timotheus Episcopus Alexandrinus. Hi porro indignati sunt, ipsis non expectatis, Sedem Gregorio confirmatam fuisse eamque electionem auctoritate decimi quinti Canonis Nicaeni oppugnarunt. Cum sic se haberet causa Gregorii, ut in eum Orientis Episcopi ob denegatum Flaviano suffragium essent infensi, et Aegyptii in odium Orientalium de sede illegitime occupata negotium eidem facesserent, ipse premi se invidia sentiens, totumque Episcoporum coetum sui caussa in partes scindi, ac metuens ne seditionem Episcopi erga ipsum bene affecti contra adversarios excitarent, maluit episcopatu cedere ac in solitudinem se recipere. In eius locum suffectus est Nectarius Tarsensis.

Has inter turbas pacate satis tractata est causa fidei, ac primo quidem Volumen Occidentalium fuit exhibitum. Eo perlecto, unanimi consensu Patres contra Macedonium definierunt, Spiritum Sanctum non servum, sed Dominum esse vivificatorem omnium, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum.

Deinde libellus fidei i. e. Symbolum Nicaenum, unanimi concordia probatur, at cum in eo parcius de divinitate Spiritus Sancti ageretur, quod nempe nulla adhuc haeresis tunc eidem contraria emersisset, placuit sanctae

Synodo de eiusdem divinitate aliquid addere, quod italicis litteris exhibemus. Est autem symbolum huiusmodi: « Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem factorem *Caeli et terrae* visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum nostrum Jesum Cristum Filium Dei unigenitum et ex Patre natum *ante omnia saecula*, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit *de caelis* et incarnatus est *de Spiritu sancto ex Maria Virgine* et homo factus est. *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato* passus et sepultus est. Tertia die resurrexit *a mortuis secundum Scripturas*. Ascendit in caelos *sedet ad dexteram Patris*. Inde venturus est *cum gloria* iudicare vivos et mortuos, *cuius regni non erit finis*. Credimus in Spiritum Sanctum *Dominum et vivificantem ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri saeculi. Amen.*

Dicitur *natum ante omnia saecula* contra Photinum, qui Verbum divinum non aeternum, sed in utero Virginis primo caepisse docuit.

Dicitur *Natum.... ex Maria Virgine* contra Apollinarem delirantem Christum carnem suam de Coelo tulisse nihilque assumpsisse ex Maria Virgine.

Dicitur *cuius regni non erit finis* contra Millenarios temporale et terrestre Christi regnum comminiscentes.

Dicitur *consubstantialem Patri* contra Arianos, Semiarianos, *Homiusianos* qui Filium similis cum Patre substantiae esse dicebant et *Heterousianos*, qui eum neque eiusdem neque similis cum Patre substantiae sed diversae esse volebant.

Dicitur *et in Spiritum Sanctum.... adorandum etc.* contra Macedonium, Aetium et Eunomium Spiritus Sancti divinitatem inficiantes. Dicitur *factorem coeli et terrae* etc. maioris explicationis caussa contra Marcionitas et Manichaeos, qui adserebant duo rerum principia unum bonum, alterum malum.

Denique in hoc symbolo tum distinctio enunciatur divinarum personarum contra Sabellium, qui unam tantum in trinitate personam admisit; tum contra pullulantes sectas Ecclesiae notae designantur.

—

Post symbolum fidei, Concilium quosdam Canones statuit de quorum tamen numero disputant Interpretes. Dum enim antiqui Codices graeci ac scholiastae medii aevi Zonaras et Balsamon, septem Canones recensent, antiquae latinae versiones ut Prisca, versio Dionisii Exigui atque Isidori priores tantum quatuor enumerant.

Eorum summa haec est:

CANON I.

In primo Canone, confirmata in omnibus fide nicaena, omnes anathematizantur haereses, speciatim Eunomianorum sive Anomaeorum, Arianorum sive Eudoxianorum, Semiarianorum, sive Spiritus Sancti adversariorum, Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum et Apollinaristarum.

Etsi arianam haeresim, eiusdemque sectatores, Nicaeni Patres anathemate perculissent, nihilominus praesumptae semel opinioni pugnacius inhaerentes, novas et contrarias condebant quotidie fidei formulas, adeo ut eorum unus Sophronius Pompeiopolitanus in Paphlagonia Episcopus in Seleucensi Synodo exclamarit: « Nova in dies singulos nostrae voluntatis et sententiae fit formula fidei » Hinc in primo Canone statuitur ut quidquid trecenti decem et octo Patres in Nicaena Synodo congregati definierunt, firmum ratumque maneat, dicto in omnes haereses anathemate.

CANON II.

Canon secundus praescribit ut Episcopi, qui extra Dioecesim sunt ad ecclesias extra terminos earum sitas non accedant, neque confundant et permisceant ecclesias iuxta canones constitutas. Sed Alexandriae quidem Episcopus ea quae sunt in Aegypto tantum gubernet. Orientis autem

Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis Antiochenae Ecclesiae honoribus primatus, qui regulis nicaenae Synodi continentur. Asianae Dioecesis Episcopi ea quae sunt in Asia quaeque ad Asianam tantummodo Dioecesim pertinent, gubernent. Ponti autem Episcopi Ponticae tantum Dioecesis habeant curam; Thraciae vero, ipsius tantummodos Thraciae.

Vetat praeterea ne Episcopi non invitati ultra Dioecesim accedant ad ordinationem conferandam vel quascumque disponendas ecclesiasticas causas. Manifestum enim est quod per singulas quasque Provincias, Synodus provincialis administrare et gubernare omnia debet secundum ea quae sunt Nicaeae definita.

Denique addit, ecclesias Dei, quae sunt inter barbaricas gentes constitutae, regere atque administrare oportere secundum consuetudinem quae a Patribus obtinuisse dignoscitur.

Causa huius Canonis fuit probabiliter Petri Patriarchae Alexandrini agendi modus, ut Maximum Cynicum in Sede Constantinopolitana constitueretur. Juxta nonnullos voluit etiam Concilium hoc canone reprobare Meletium Episcopum Antiochenum, qui bono forte consilio ductus, ne quis macedoniana labe infectus Episcopatum Constantinopolitanum occuparet, omnem lapidem movit, ut vir pietate insignis S. Gregorius Nazianzenus eidem Ecclesiae daretur Episcopus, quamvis Constantinopolis in Thraciae Dioecesi sita esset, ac metropoli Heracleae subesset. (Cf. Valois *Ad Socratis H. E. v. 8*.)

Quod autem spectat primam huius Canonis partem, ambigitur inter Commentatores quinam designentur per ea verba « Episcopi qui extra Dioecesim sunt ad Ecclesias quae extra terminos eorum sunt non accedant; » nonnulli enim ea verba intelligunt de Episcopis qui sunt supra Dioecesim, id est qui praesunt toti Dioecesi, prout Alexandrinus, Antiochenus etc. alii vero de quibuscumque Episcopis, qui extra suam Dioecesim morantur ea verba enarrant. De hac re nonnulla notat Beveregius in suis observationibus ad praesentem Canonem et Valesius ad Socratis H. E. Lib. V. Cap. VIII. Horum uterque posteriorem sensum veriorem arbitratur, ductus ex toto Canonis contextu et maxime ex verbis quae sequuntur *non invitati Episcopi* etc. quae ad omnes Episcopos referuntur.

Quoad secundam partem Canonis advertendum de maioribus ordinationibus proprie agi, hoc est Episcoporum, ad quas ex omni provincia Episcopi cum Metropolita accedebant.

De ecclesiasticis vero causis apud provinciales synodos definiendis, quae spectant ad tertiam partem Canonis, actum pariter fuit a Patribus Nicaenis Can. V. ubi hae synodi bis in anno celebrari iubentur. Ex eo decreto Patres Constantinopolitani ecclesiasticarum omnium rerum administrationem ad propriam cuiusque provinciae synodum pertinere asseruerunt. Opportunum tamen est notare quod temere ex hoc Canone deducit Fleury Lib. XVIII Hist. Eccl., Conciliis tributam fuisse omnem ecclesiastici regiminis auctoritatem et sublatis appellationibus ad Rom. Pontificem a Concilio Sardicensi inductis, rem ad pristinum statum fuisse restitutam; perinde ac si appellationes istae a Sardicensi Concilio dimanarent non autem ex primatu divinitus constituto. De antiquitate appellationum testatur Athanasius in epist. ad Felicem Papam, pluraque extant monumenta apud S. Epiphanium haeresi XLII. ac alios vetustissimos Patres.

Quoad ultimam partem Canonis notandum est, ecclesias inter barbaros constitutas fuisse illas, quae extra Romani Imperii fines sitae erant. Jamvero consuetudo fuit antiquitus non controversa, ut unus vel alter finitimus Metropolita pro huiusmodi ecclesiis Episcopum ordinaret, qui non uni civitati praeerat, sed universae nationi.

CANON III.

Canone tertio sic decernitur: Constantinopolitanae civitatis Episcopus habere debet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.

Baronius ad ann. CCCLXXXI hunc Canonem supposititium esse affirmat vel saltem addititium. At eius sententia erronea est cum Canon insit antiquissimis collectionibus atque ab historicis Socrate et Sozomeno huic Concilio tribuatur quodque maius est, memoretur in actis oecumenicae synodi chalcedonensis. (Cf. Pagium ad Baronium, Lupum in *Diss. de hoc Synodo Cap. IV.*)

A Romano Pontifice Canon iste probatus non fuit. Ut in Concilio Chalcedonensi et ab Ecclesia romana approbaretur, Graeci tentaverunt, sed res in irritum cessit. Donec tandem Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV., remota resistendi ratione, primum locum post Sedem Romanam, Ecclesiae Constantinopolitanae indulsit, dum Latini Constantinopolim occuparent.

CANON IV.

In quarto Canone declaratur Maximum Cynicum non esse habendum Episcopum, eiusque ordinationes et gesta penitus rescinduntur.

CANON V.

In Canone quinto de tomo occidentalium, suscipiuntur qui Antiochiae unam Patris et Filii et Spiritus Sancti deitatem confitentur.

Canon hic secundo oecumenico Concilio a plerisque abiudicatur, ac alteri synodo tribuitur Constantinopoli coactae, post unum annum ab ipso Concilio oecumenico, et cui iidem Episcopi interfuerunt.

Hac missa controversia, variant eruditi in explicando canone, qui praefert inscriptionem « De tomo occidentalium » et tamen in decursu de illis ne verbum quidem habetur, sed de Antiochenis agitur. Balsamon ac Zonaras, nec non Andreas Rhodiorum Metropolita Latinus in Concilio Florentino, putarunt hunc canonem respicere decreta Sardicensis Concilii. At perperam, cum in illa synodo nihil dictum fuerit de Antiochenorum divisione. Hinc agitur in Canone de alio Latinorum tomo, seu fidei definitione, quae iuxta Baronium in litteris Damasi Pontificis Max. continebatur datis ad Paulinum Episcopum Antiochenum. Huiusmodi epistola qua anathemate feriebantur Arius, Apollinaris, Sabellius, Macedonius, Eunomius et Photinus, extat apud Theodoretum *Hist. eccles.* L. 5. Cap. II. Etenim ut schismatis suspicionem penitus averterent Patres Constantinopolitani se suam in communionem recipere in hoc Canone decernunt Antiochenos Paulino obsequentes, quod nempe synodicam Damasi praelaudatam recepissent, adeoque in hoc canone adprobari dicitur fides Antiochenorum unam essentiam in divinis confitentium cum libello occidentalium, epistola scilicet Damasi ex Concilio romano ad eos missa. Hoc autem Concilium probabilius censetur esse illud, quod anno 369 habitum est. (Cf. cl. Hefele Hist. Concil. p. 207 vers. gall.)

CANON VI.

Canon sextus statuit 1) ut in iis quae ad publicas res ecclesiasticas spectant, admitti non debeat accusatio ad-

versus Episcopum ab eo intentata, qui vel haereticus sit, aut schismaticus, vel excommunicatus vel infamis, nisi plane se purgaverit et proprium crimen absterserit. — 2) Ut neque adversus Clericum ullum accusatio audiatur, si accusator ipse iam reus delicti factus sit, nisi postquam se obiecti criminis insontem probaverit. — 3) Ut impactum Episcopo crimen expendatur in provinciali Synodo a qua provocari possit ad *maiorem synodum Dioecesis.* — 4) Ut aequale sibi periculum statuat accusator, siquidem Episcopum calumniari convictus fuerit. — 5) Ut ab accusatione is repellatur, qui praescripta iudicii forma contempta, ad Imperatorem recurrit, vel ad alios Principes laicos. — 6) Denique ut in Conciliis generalibus accusationes non admittantur adversus Episcopos, quae antea in Dioecesis Synodis examinatae non fuerint.

Canon hic adiudicari nequit Concilio Oec. Constantinopolitano. Aperte enim huic sententiae refragantur non modo Dionysius Exiguus et latini omnes collectores Canonum, verum etiam graeci historici Socrates, Sozomenus, et Theodoretus, qui circa tempora huius Concilii floruerunt.

CANON VII.

Canone septimo agitur de modo haereticos in Ecclesiae gremium recipiendi ac dicitur alios non iterato baptismo, sed libellos tantummodo exhibentes per solum chrisma admitti, alios vero per novum baptisma, postquam catechismo fuerint prius imbuti, salutarique divinorum mysteriorum doctrina eruditi. Primi generis censentur Ariani, Macedoniani, Sabbatiani, Novatiani, Tesseradecatitae, Tetraditae et Apollinaristae. Alterius vero generis Eunomiani, Montanistae et Sabelliani. Ratio vero discriminis ex eo repetitur, quod haeretici primo loco recensiti, legitima formula uterentur, reliqui vero illegitima.

Duo praecedentes Canones (V et VI) quamvis huic Concilio tribuendi non sint, inveniuntur tamen in antiqua collectione Joannis Scho-

lastici; at VII Canon neque in ea exstat, neque in antiquis versionibus et collectionibus. Neque in paraphrasi arabica nec in Epitome Simonis Logothetae. Praeterea formam canonis non praefert, cum nihil iubeat, sed tantum referat quae in Ecclesia fiunt in haereticorum receptione. Putat Beveregius (Pandectae P. II. p. 100.) Canonem hunc nihil esse aliud quam fragmentum Epistolae Ecclesiae Constantinopolitanae medio saeculo V. scriptae ad Martyrium Antiochenum Episcopum, in qua idem subiectum eodem fere modo exponitur.

Synodus Constantinopolitana neque convocatione neque celebratione fuit generalis; oecumenica tamen deinceps habita est post RR. Pontificum confirmationem, qui dogmaticas definitiones in ea latas probarunt.

CONCILIUM OECUMENICUM TERTIUM

EPHESINUM

Theodosius iunior Imp. Theodosii senioris nepos, mortuo Sisinnio Patriarcha Constantinopolitano, adversis pugnantium civium studiis offensus, successorem eius non ex Constantinopolitana, sed ex Antiochena Ecclesia adsciscendum ratus, Nestorium monachum ad illas infulas promovit.

Is dicendi quidem facultate praestans, at haeretica labe infectus, duxerat secum Antiochia Anastasium presbyterum, quo familiarissime utebatur, quique cum aliquando verba faceret ad populum, Beatissimam Virginem vocandam esse *Deiparam* negavit. Excitavit impia vox magnos populi fremitus ac tumultus, collaudavit tamen Nestorius, concione habita, sacrilegam hanc doctrinam sublatoque *Deiparae* nomine, Christum Dominum in duas distraxit hypostases, ac B. Virginem non Theotócon sed Christotócon appellandam esse pronuntiavit. Ut autem haeresim suam per totum orbem propagaret, libros a se scriptos ad complures misit, ac inter alios ad Aegypti Monachos, quos ut deciperet, se Nicaenae tantum Fidei adsertorem professus est.

Inter haec Cyrillus Alex. Episcopus doctrina eximius, vigilantia pari, de Nestorii haeresi factus iam certior,

primam scripsit Epistolam, in qua Patrum qui Nicaenae Synodo adfuerant ac in primis S. Athanasii testimoniis, Sanctissimam Virginem *deiparam* appellatam esse ostendit, eodemque tempore ne ipsius Nestorii venena in Augustorum animos atque Augustarum illaberentur, commentarios ad Imperatores atque Reginas Pulcheriam et Eudoxiam submisit. Paulo post monitus Cyrillus a Caelestino Pontifice Maximo, ad quem eadem Nestorii scripta pervenerant, de iisdem erroribus ut diligenter inquireret, binas ad ipsum Nestorium dedit epistolas, quibus eum hortatus est ut in fide Patrum permaneret, errorem incaute forsan prolatum emendaret, Beatamque Virginem deiparam fateri non recusaret. At ille totidem Cyrillo redditis epistolis, se in errore obfirmatum ostendit ac conviciis Cyrillum ipsum impetiit. Interim Nestorius Caelestino R. P. demissionis plenas dedit litteras ratus posse illum in suam sententiam pertrahere. Caelestinus vero de Nestorii haeresi certior factus a Cyrillo, congregata Romae synodo an. 430, Nestorii haeresim condemnavit, ipsique haeresiarchae decem dierum spatium ad resipiscendum praescripsit, quibus elapsis, nisi resipisceret, anathema ei comminatus est. Suas tamen literas noluit Pontifex recta ad Nestorium perferri, sed per Possidonium ad Cyrillum misit. His acceptis Caelestini litteris, cum delegata sibi ab ipso potestate in causa Nestori prosequenda, confestim Cyrillus collegit Alexandriae Synodum ubi quatuor electi sunt Episcopi Legati, qui Constantinopolim ad Nestorium litteras Pontificis Max. deferrent una cum damnationis decreto, nisi intra praescriptum terminum resipisceret.

Non solum autem Haeresiarcha non paruit, sed publice pro concione, eadem quae antea iisque deteriora dogmata proposuit.

Hinc cum omnia pessum irent, crescente in dies audacia Nestorii, et cum sententia in ipsum lata exsecutioni mandari non posset, interpellatus Theodosius, Synodum Oecumenicam Ephesi indixit, quae convocata est in Ecclesia

S. Mariae die 22 iunii anno christ. 431 assentiente Romano Pontifice Caelestino.

Convenerunt bis centum Episcopi. Ioannes Antiochenus solus cum suis Orientalibus ad praestitutam diem non advenit, sed elapsis diebus quindecim per duos Metropolitanos Apameensem et Hierapolitanum Ephesinis Patribus significavit, non esse diutius exspectandum, nec Concilium sui causa differendum. Hinc Patres in unum coeunt, Cyrillo Caelestini quoque Pont. Max. vices gerente, legati siquidem Apostolicae Sedis nondum advenerant.

Die quae sessionem primam antecessit, plures Episcopi proposuerunt Nestorium citare ad se sistendum Concilio atque ad rationem reddendam suae doctrinae, respondit tamen ipse quatuor Episcopis qui eum adiverant « Considerabo et videbo. » Die insequenti cum quatuor iidem Episcopi haeresiarchae responsum in Patrum consessu retulissent, placuit alios quatuor Episcopos mittere, qui contumaciter absentem secundo citarent. Sed hos Nestorius non admisit. Tandem ne qua iudiciarii ordinis solemnitas desiderari posset, per alios Episcopos eumdem Nestorium tertio citarunt, Episcopi vero ad hanc functionem obeundam ablegati, non modo ab illo excepti non sunt, verum etiam a Satellitibus Nestorium custodientibus male habiti.

Interim sexaginta octo Episcopi Asiatici, quos inter Theodoretus Cyri Antistes, ac duo Metropolitani, Apaimenus et Hierapolitanus, iam scripserant Cyrillo ac Iuvenali ut synodum differrent usque ad adventum Episcoporum Antiochiae, Comes vero Candidianus, quem Imperator Protectorem Synodo dederat, aulam ingressus, imperialia decreta perlegenda obtulit et contra initium synodi protestatus est. Quam tamen ipse proponebat quatuor dierum dilatio acceptata non est, ac primae Sessioni locus datus. Initio lectae sunt convocationis litterae quas Theodosius ad Metropolitas scripserat. Deinde post recitatum symbolum nicaenum, secunda epistola Cyrilli ad Nestorium et hae-

retica Nestorii ad Cyrillum itemque Caelestini Pontificis Maximi et Concilii Romani atque Alexandrini epistolae cum litteris Cyrilli postremis et contentis in illis anathematismis lectae sunt[1]. Harum lectioni accessit relatio blasphemiarum quas Theodorus Ancyranus et Acacius Melitenus aliique Episcopi ex ore ipso Nestorii acceperant. Rursum inductu Flaviani Philippensis Episcopi, allatis multis sanctorum Patrum testimoniis, demonstratum est, unionem Verbi divini cum humanitate indivise et inconfuse in utero Bm̃ae V. Mariae factam esse duasque naturas in una hypostasi coniunctas et unitas fuisse. Cum vero ab hac orthodoxa Patrum et Ecclesiae doctrina scripta Nestorii abhorrere universi Patres comperissent, in Nestorium haereseos nefariae convictum, lata est excommunicationis et exauctorationis sententia, cui Episcopi omnes subscripserunt.

Post haec, repetito Nicaeno Symbolo, sub anathemate praeceptum est, ne quis aliquid praeter id quod per Nicaenam Synodum definitum esset ad Fidem adiicere ullo modo tentaret. Scripsit quoque Synodus epistolam ad Clerum populumque Constantinopolitanum, qua eos certiores fecit de damnatione Nestorii.

Quinto post die Ioannes Antiochenus cum Episcopis suis accessit et Candidiano Comite impellente, indignissime se ferre palam professus est, quod non habita ratione sui absentis ac se inconsulto, prolata fuisset sententia. Tum seorsim a Patribus congregatis, praesidio Candidiani fretus.

1 Duodecim anathematismorum Cyrilli haec est summa. In 1 dicitur anathema illi, qui negaverit B. Virginem esse Dei genitricem, cum Verbum caro factum sit. In 2 ei qui negaverit unum esse Christum Deum simul et hominem. In 3 ei qui asserit inter Verbum et humanitatem unionem tantum moralem, secundum dignitatem, auctoritatem ac potestatem. In 4 ei qui praedicata Christi duabus personis tribaunt pro ratione divinitatis et humanitatis. In 5 ei qui Christum dixerit *Theophoron*, non autem Deum veraciter. In 6 ei qui dixerit Verbum esse Dominum Christi. In 7 ei qui Jesum dicit a Verbo adiutum et distinctam ab unigenito personam. In 8 ei qui dixerit Christum hominem tantum coadorandum cum Verbo, tamquam alterum cum altero et non una colendum adoratione. In 9 ei qui negaverit Christum ex propria virtute divina signa fecisse In 10 ei qui dixerit Christum hominem, non autem Verbum incarnatum, se obtulisse oblationem. In 11 ei qui dixerit carnem assumptam non esse Verbi divini, sed alterius coniuncti eidem Verbo per dignitatem. In 12 ei qui negaverit Dei verbum passum et crucifixum secundum humanitatem et vivificatorem secundum divinitatem.

triginta septem Episcoporum conciliabulum coegit, in quo S. Cyrillum et Memnonem Ephesiorum Episcopum deposuit, quasi haeretice cum Apollinario sentirent, omnesque qui ad sanctam Synodum convenerant, excommunicavit.

Interim advenerunt Ephesum die 10 iulii, Sedis Apostolicae Legati Arcadius et Proiectus Episcopi ac Philippus presbyter, eodemque die actio secunda celebrata est. In ea solemni ritu lectae fuerunt Caelestini Pont. Max. litterae ad Concilium ex latino graece redditae, atque a Patribus acclamatum est « Novo Paulo Caelestino, Custodi Fidei, Caelestino cum Synodo concordi, Caelestino universa Synodus gratias agit. » Tum Philippi presbyteri rogatu, promittitur patefieri quae, ipsis Legatis absentibus, gesta fuerant.

Postridie, idest die 11 iulii, actio tertia habita est in qua Legati pontificii declararunt, se quidem legisse acta sessionis primae ac sententiam contra Nestorium latam se invenisse ecclesiasticae disciplinae conformem, at ut Caelestini Pontif. praescriptionibus parerent, expetierunt ut eadem acta in sessione perlegerentur, quod factum est. Post haec subscribunt ipsi trium actionum actis. Synodica vero epistola ab adstantibus Episcopis subscripta, ad Imperatorem datur, qua de legatorum adventu atque utriusque Ecclesiae consensu in damnatione Nestorii certior fit, ac simul rogatur, ut novus Praesul Ecclesiae Constantinopolitanae dari sinat et congregatos Episcopos in patriam reverti.

Die 16 iulii quarta actio celebrata est. Cyrillus et Memnon libellos porrexerunt contra Ioannem Antiochenum, a quo se iniuste damnatos atque uti haereticos Apollinaristas traductos queruntur, simulque expostulant, ut Ioannes ipse eiusque asseclae audiantur eamque ob causam iudiciali ordine citentur. Quod cum semel et iterum factum fuisset, primi quidem qui missi fuerant, praeter minas et iurgia, nihil responsi attulerunt, secundi vero hoc responsum per milites reportarunt « Episcopus Ioannes ait: Vos

homines per nos gradu motos et excommunicationis vinculo innodatos, responso non dignamur. » Quae cum Episcopi ad Concilium retulissent, Synodus irritum declaravit iudicium a Ioanne eiusque fautoribus latum contra Cyrillum ac Memnonem, et Ioannem tertio citandum censuit ad comparendum. Sed hic in prava sua sententia obfirmatus, chartas publice affigi iussit, quibus Cyrillus et Memnon Apollinaristarum haeresi infecti declarabantur ac deponebantur.

Actione quinta habita die 17 iulii, Cyrillus et Memnon ut haereseos suspicionem a Nestorianis sibi inustam amoverent, tum Apollinaris haeresi, tum aliis anathema dixerunt. Exinde, tertio citatus Ioannes cum non accederet, Synodus lata in eum eiusque Episcopos excommunicationis sententia, addidit comminationem depositionis, nisi dicto audiens esset, ac nomina recensuit Episcoporum triginta sex qui anathemate feriebantur. Eorum autem quae gesta fuerant relatio missa est Pontifici Max. atque Imperatori.

Actio sexta die 22 iulii celebrata est. In ea legitur Nicaenum Symbolum ac testimonia Patrum quae in Actione prima citata fuerant in damnatione Nestorii. Cum vero Charisius Ecclesiae Philadelphiensis Oeconomus, haereticam fidei formulam exhibuisset, quam Nestoriani ad subscribendum offerebant quasi esset nicaenum symbolum, Patres communi sententia sub excommunicationis et depositionis poena decreverunt, alteram fidei formulam nemini licere aut conscribere aut componere, praeter definitam a SS. Patribus Nicaenis.

Actione septima quae iuxta nonnullos die 31 augusti, iuxta alios die 31 iulii habita fuit, agitur de iurisdictione Patriarchae Antiocheni in insulam Cyprum. Iamdudum enim Patriarchae Antiocheni Cypri ecclesias sibi subiicere moliebantur.

Hinc decretum fuit, ne Ioannes Antiochenus Cyprias, neque alii Episcopi alias invaderent Ecclesias. In eadem actione circulares litterae omnibus Episcopis, clericis et

laicis datae sunt, quibus excommunicationis ac depositionis sententia contra Ioannem et eius asseclas lata promulgabatur.

Post haec sex statuuntur Canones, praecipuam partem contra dissidentes a Synodo, quorum summa haec est:

CANON I.

Canon primus statuit, Metropolitam, qui derelicta legitima Synodo, aut accessit ad defectionis consessum, aut accedet in posterum, sive cum Caelestio sentit, et sentiet, non modo nihil amplius posse agere adversus Provinciae Episcopos, sed etiam subiici ipsius Provinciae Episcopis et vicinis Metropolitis, ita ut omnino deiectus sit a sede episcopali.

CANON II.

Canon secundus sancit, siqui provinciales Episcopi a Sancta Synodo abfuerunt et deficientibus adhaeserunt aut adhaerere tentaverint, vel etiam postquam subscripserunt Nestorii depositioni, rursus ad defectionis consessum recurrerunt, ipsos penitus alienos esse a Sacerdotio et gradu cecidisse.

CANON III.

Canone tertio, siqui Clerici in singulis urbibus aut regionibus, a Nestorio et cum eo conspirantibus sacerdotio prohibiti sunt, eo quod recte sentirent, statuitur, eos esse redintegrandos in suis functionibus: generatim autem clericos orthodoxae et oecumenicae Synodo consentientes nullo pacto subiectos esse debere Episcopis qui defecerunt aut defecturi sunt.

Quam crudeliter saevierit Nestorius contra clericos et monachos qui haeresi eius non adhaerebant, liquet e supplici libello monachorum Constantinopolitanorum Theodosio et Valentiniano Impp. oblato, ubi inter alia haec habentur: » Statim nos capi iussit: inde, caedente nos turba satellitum, ad tribunal abducimur, ibidemque veluti nequam

scelerati denudamur, denudatique et vincti indignis modis ad palum et strati vapulamus calcibusque impetimur, etc. »

CANON IV.

Canon quartus deponit Clericos, qui defecerint et ausi fuerint vel privatim vel publice, quae sunt Nestorii aut Caelesti sapere.

CANON V.

In Canone quinto statuitur, quod quicumque ob turpia gesta damnati a Synodo vel a propriis Episcopis, a Nestorio eiusque fautoribus restituti sunt communioni ac gradui, eos eadem qua antea poena teneri ac depositos et excommunicatos manere.

CANON VI.

Sextus Canon decernit, a proprio gradu cadere, si Episcopi aut Clerici fuerint, excommunicatos vero esse, si fuerint laici, qui ephesinam synodum eiusque decreta labefactare attentant.

Si in aliquo Codice octo enumerantur Canones istius Concilii, id ex eo provenit, quod loco ac titulo VII. Canonis, ponitur definitio eiusdem Synodi post relationem Charisii edita, cui subnectitur nomine Canonis VIII. aliud Synodi Decretum de Episcopis Cypri.

Plura documenta quae ad nos usque pervenerunt, liquido ostendunt, Synodum Ephesinam de nonnullis etiam particularibus negotiis egisse, at incompertum prorsus est qua in Actione de his actum sit.

Inter haec documenta invenitur epistola conscripta Synodo provinciali Pamphyliae de Eustathio Episcopo, cui episcopatum abdicanti episcopi Provinciae Theodorum quemdam substituere. Petierat tamen Eustathius ut sibi liceret titulum ac honores episcopis reservatos tenere. Id quidem Synodus Ephesina eidem concessit, ea tamen conditione, ut neque ordines conferre, neque sacrificari posset, nisi ab episcopo loci veniam obtineret.

Alterum documentum est Decretum latum contra Messalianos aut Euchetas. Episcopi Pamphyliae et Lycaoniae, quorum in Dioecesi versabantur isti haeretici, ephesinis Patribus schedulam synodicam de

illis compositam in urbe constantinopolitana sub Sisinnio obtulerant, in qua statuebatur, ut omnes qui haeretici Messaliani vel Euchetae vel suspecti de eadem haeresi essent, sive clerici sive laici, convenirentur, et dummodo errores suos anathematizarent, si clerici, manerent in clero, si laici, ad communionem reciperentur; quod si anathematizare renuerent, si presbyteri vel diaconi vel clerici essent a clero, gradu et communione exciderent, si vero laici, excommunicarentur, praeterea ne convicti quoque permitterentur habere monasteria. Iamvero Synodus Ephesina hoc Decretum probavit ac scriptum quoddam (cui titulus *Asceticon*) horum haereticorum damnavit.

Tertium documentum est Decretum latum, urgente Euprepio de Byza et Cyrillo Episcopo Coelensi, qui petierant ut contra proprium Metropolitam Fritılam Heracleensem, Joanni Antiocheno adhaerentem protegerentur, ac sibi duos Episcopatus habere liceret, quod Synodus Ephesina indulsit.

Pertinet etiam ad eamdem Synodum ephesinam molitio Iuvenalis Episcopi hierosolymitani ad obtinendum primatum totius Palestinae contra iura Caesareensis Metropolitae, cui cum fere omnes Patres consentirent, Cyrillus constantissime restitit.

Post haec Synodus acta sessionum ad Theodosium mittenda curavit, verum, cum dolo Candidiani Concilii illae litterae sicut et aliae datae ad Imp. interceptae fuissent, easque dumtaxat litteras Imperator accepisset, quas Nestoriani submiserant, ex silentio orthodoxae partis aequitatem causae nestorianae suspicatus Theodosius, per Palladium ad Praesides scripsit, ne quemquam Episcoporum ad Ecclesiam suam redire permitterent, praecepitque acta contra suum ordinem et mandatum, sive adversus Nestorium, sive alios, penitus esse irritanda, integrandumque iudicium, ut cuncta rite fierent. Verum cum has litteras Palladius utriusque partis Episcopis reddidisset, tantam redeundi ad Imperatorem celeritatem praesetulit, ut noluerit expectare responsum Oecumenicae Synodi ad Imperatorem subscribi ab omnibus Episcopis. Hinc catholici Antistites opportunum in re adeo deplorata consilium nacti, Cyrilli litteras, quibus oppressionem Candidiani atque Orientalium exponebat ac facultatem ablegandi Episcopos Constantinopolim exposcebat, in arundinem insertas per hominem mendici habitu

indutum miserunt ad Episcopos et Monachos in urbe degentes. Hac ratione cum litterae Orthodoxorum Costantinopolim essent delatae, Dalmatius Archimandrita monachorum agminibus stipatus, Imperatorem adiit qui, perlectis litteris, Decretis Synodi de Nestorii damnatione adquievit, ad sedandas autem alias controversias inter Joannem Antiochenum et Cyrillum, facultatem tribuit eidem Oecumenicae Synodo quos velletCostantinopolim mittere, qui omnia ei referrent.

At vix a Synodo Episcopis ad Imperatorem deputatis, is mendaciis ac fraudibus Irenaei Comitis et Acacii Beroeensis Episcopi impulsus, in Cyrillum et Memnonem tamquam haereticos et seditiosos invehitur eosque cum Nestorio carceribus includendos praecipit. Tandem vero Imperator Episcoporum Constantinopoli degentium, ac Dalmatii et Pulcheriae Augustae precibus motus, octo ex utraque parte Oratores Constantinopoli primum, deinde mutato consilio, Chalcedonem coegit, Nestorium vero Epheso iussit abire, sublata ei spe redeundi ad Sedem Costantinopolitanam. Cum denique Episcopi a Synodo Oecumenica ad Theodosium missi superassent post multas concertationes adversarios, Imperator ad Synodi partes inclinavit, ac Maximianus electus est Episcopus Costantinopolitanus. Nestorius vero in suum S. Euprepii monasterium a Theodosio relegatus est.

Cum Ioanne Antiocheno mitius actum est. Quae enim a Synodo in eum statuta fuerant, haud adeo presse visa sunt exsecutioni mandanda, ne cum Ioanne totius Syriae Episcopi ab Ecclesia Catholica separarentur. Id autem divino consilio factum esse, exitus declaravit. Anno quippe proxime sequente ad concordiam rediere dissidentes et Ioannes cum suis, damnato Nestorio, reconciliatus est Romano Pontifici et Cyrillo Alexandrino.

Sixtus III Pont. Max. cuncta Ephesinae Synodi gesta confirmavit.

CONCILIUM OECUMENICUM QUARTUM

CHALCEDONENSE

Ad revincendam haeresim eutychianam quae duas in Christo naturas post incarnationem negans, unam dumtaxat sive confusione, sive absorptione factam aiebat, Leone Pontifice Max. ac Marciano Imperatore adnitentibus, Concilium indictum est Nicaeae primum, deinde Chalcedone.

Adfuere Patres 636, ut scribit S. Leo (ep. 102), qui tamen ad Concilii exitum numerati sunt 520, ut est in epistola synodica. Fuerunt autem omnes fere Orientales; itinera quippe ubique infesta et Hunnorum late vagantium terror profectionem occidentalium impedierant. Haud omisit Leo (quod unum per tempus licebat) Legatos Apostolicae Sedis illuc mittere, Paschasino et Lucentio Episcopis, ac Bonifacio et Basilio presbyteris ad hoc munus designatis.

Sessiones habitae sunt in Ecclesia S. Euphemiae atque ab octava die octobris productae ad primam novembris anno 451.

In Actione prima, habita die 8 octobris, a Legatis Pontificis denuntiatur Dioscorus, quod inconsulta Romana Sede, generali Concilio praeesse sit ausus ac iubetur tamquam reus iudicandus in medium procedere. Accusationem suscipit Eusebius Dorylaei Episcopus, in latrocinio Ephesino depositus, et ad acta eiusmodem Synodi provocat.

Leguntur subinde acta Concilii Constantinopolitani sub Flaviano et Pseudo-synodi Ephesinae sub Dioscoro celebratae. Theodoretus Cyrensis, cui propria Sedes a Leone Pont. Max. fuerat restituta, in Episcoporum consessum admittitur, frustra contradicentibus Aegyptiis, Palaestinis Illyricisque Praesulibus et calumniose asserentibus eum esse Nestorianum.

Fremunt Patres orthodoxi adversus Dioscorum tot eius sceleribus in apertum productis; conatur tamen ipse se defendere eo quod tota Synodus Ephesi congregata secum tam in depositione et damnatione Flaviani, quam in omnibus aliis quae ibidem decreta fuerant, consensisset. At cum ex adverso Orientales ipsi sibi vim illatam per introductos a Dioscoro armatos reponerent, convictus criminum Dioscorus gradu et sessione in Synodo deiicitur. Patres Flaviani doctrinam et innocentiam probantes, reprobant sententiam contra eum latam, vicissim vero Eutychetis doctrinam damnant et accusatores deponendos iudicant.

In Actione secunda recitata sunt duo fidei symbola, Nicaenum et Constantinopolitanum; lectae litterae Cyrilli tum ad Nestorium, tum ad Ioannem Antiochenum, ac Leonis Epistola ad Flavianum, in qua duas esse in Christo naturas declaratur, eaque lectione absoluta, clamarunt Episcopi: « haec Patrum fides: haec Apostolorum fides; omnes ita credimus: orthodoxi ita credunt: anathema ei qui non ita credit: Petrus per Leonem ita locutus est. »

In Actione tertia (die 13 oct.), productis variis accusationum libellis, depositionis sententia fertur in Dioscorum ter citatum et comparere nolentem. Hanc Paschasinus post relata Dioscori scelera his verbis conceptam pronuntiat: « Unde Sanctissimus et Beatissimus Archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per praesentem Sanctam Synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno Petro Apostolo qui est petra et crepido Catholicae

Ecclesiae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum (Dioscorum) tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio. » Huic sententiae unanimi suffragio assensi sunt Patres.

In Actione quarta (die 17 oct.) lecta sunt coram Synodo quae in praecedentibus Actionibus acta fuerant, deinde Iudices et Senatus postularunt a Patribus, ut doceret quisque eorum an expositio Concilii Nicaeni et Constantinopolitani consona esset S. Leonis epistolae. Id porro ita esse affirmarunt omnes cum Legatis Episcopi.

Iuvenalis, Thalassius aliique latrocinii Ephesini complices veniam precati, dicto in Eutychen anathemate et probata Leonis epistola, in Concilium suasque sedes admittuntur. Idem beneficium postulantibus pro Dioscoro clericis abnuitur, quin imo anathematis in illum sententia iteratur. Aegyptiis conceditur ut, antequam subscribant Leonis epistolae, novus Episcopus Alexandrinus eligatur.

Actione quinta (die 22 octob.), quod fidei formula ab Asclepiade diacono recitata non omnibus placeret, conventum est inserenda esse definitioni, quae in Epistola Leonis continebantur, cuius pars de incarnatione sic se habet: « Sequentes igitur Sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, constanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubsantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. Ante saecula quidem ex Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Vergine Dei genitrice secundum humanitatem, unum eumdem Christum Filium, Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter

unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae in unam Personam atque subsistentiam concurrentis: non in duas personas partitum atque divisum, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum Verbum Iesum Christum: sicut ante Prophetae de eo, et ipse nos Iesus Christus erudivit et Patrum nobis symbolum tradidit. »

Actione sexta. Imperator ubi fidei definitionem per legatos intellexit, Chalcedonem venit, et ad Concilium orationem habuit, in qua dixit se cum Pulcheria *eo venisse ad fidem roborandam, non ad potentiam ostendendam sive exercendam, exemplo Constantini, ut veritate inventa, multitudo non ultra pravis doctrinis attracta discordet.* Post orationem, Episcopi plaudentes Augusto atque Augustae acclamant. Recitata deinde iterum fidei definitio est, cui Episcopi subscripserunt et quidem primo loco Legati Leonis Pont. Max. Repetitum etiam saepius anathema in Nestorium, Eutychen et Dioscorum. Demum Marcianus Sanctae Synodo exposuit quaedam Capitula se ad honorem ipsorum Patrum iisdem reservasse, quae decorum indicaverat ab iisdem regulariter posse formari per Synodum, potiusquam sua lege sanciri: eoque iubente lecta sunt, quae postea per Canones ab eodem Concilio sunt constituta et in eosdem relata habentur.

Actione septima compositio Iuvenalem Hierosolymitanum inter et Maximum Antiochenum inita circa terminos sui cuiusque patriarchatus probatur.

Actione octava Theodoretus Cyrensis Episcopus, qui duodecim anathematismos Cyrilli refutaverat et sic in Nestorii haeresim videbatur prolapsus, cum anathema diceret Nestorio, sedi episcopali est restitutus, a qua deiectus fuerat Dioscoro, iam antea a Leone Pont. Max. in communionem admissus.

Actione nona et decima Ibas Edessenus Episcopus a Dioscoro in latrocinio Ephesino pariter depositus, auditis

eius accusatoribus lectaque epistola ad Marim Persam data, in qua in Cyrilli anathematismos invehebatur, dicto in Nestorium atque Eutychen anathemate, sedi suae redditur.

Actione undecima et duodecima discussa causa Bassiani et Stephani, quarum alteri deposito ab episcopali sede Ephesina alter suffectus fuerat, Concilium decrevit utrumque exauctorandum, ac tertium eligendum. Utrique tamen, retenta episcopali dignitate, adsignatur annua pensio ex reditibus ephesini episcopatus persolvenda, qua sustentarentur.

Actione decima tertia Eunomii Nicomediensis et Anastasii Nicaeni controversia de iure metropolitico deciditur.

Actione decima quarta causa Sabiniani et Anastasii de Pherrensi Episcopatu contendentium decernitur, statuta rursus posteriori pensione annua.

Actione decima quinta, absentibus Sedis Apostolicae Legatis, editur Canon de Sedis Costantinopolitanae praecellentia.

Actione decima sexta (die 1. Nov.) Paschasinus omnium primus apud Iudices graviter conquestus est post Legatorum discessum quaedam contra Canones gesta esse, quae coram relegi postulavit. Adnuerunt Iudices, sed priusquam acta illa recenserentur, dixit Aëtius Costantinopolitanae Ecclesiae Archidiaconus, consuetudinem esse ut absolutis iis quae omnium sunt praecipua, quaedam quae levioris sunt momenti constituantur; habuisse Ecclesiam Costantinopolitanam certa quaedam quae per Synodum agi deberent, rogasse etiam dominos Episcopos de Roma ut communicarent iis gestis, ipsos autem recusasse, aientes, talia se non suscepisse mandata.

His dictis, lectus est iterum Canon, quo audito, Lucentius sedis Apostolicae Legatus duo praecipua vitia Canonis allegat, scilicet primo metum Episcopis incussum, deinde caducum Canonis fundamentum.

At adversus primum reclamarunt statim Episcopi aientes: « Nemo coactus est » hinc de secundo vitio perrexit Legatus ac ostendit tertium Canonem Costantinopolitanum innovatum et auctum in hoc vigesimo octavo Chalcedonensi, adversari Canoni VI. Nicaeno, damnatum esse a Romana Ecclesia ideoque innovari non potuisse. Cum vero Episcopi in eius defensione perstitissent, Legati Pontificis Max. contra protestati sunt, utque eorum contradictio gestis insereretur, postularunt.

Canones in Concilio statuti viginti octo fuere quorum summam heic exhibemus.

CANON I.

Canon primus Regulas Sanctorum Patrum per singula Concilia constitutas proprium robur obtinere decernit.

Extabat iam ante celebrationem Concilii Chalcedonensis in Ecclesia graeca Codex Canonum et Concilium ipsum Chalcedonense usum fuerat aliqua ex his collectionibus.

Cum vero maior pars ex his Synodis, quarum canones collecti fuerant, auctoritatem non haberent oecumenici Concilii, hinc Patres Chalcedonenses illos Canones probarunt ut vim haberent in universa Ecclesia.

CANON II.

Canon secundus statuit quod si quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationem et sub pretio redegerit gratiam quae non potest vendi, ordinaveritque per pecunias Episcopum, aut chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum vel quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem aut defensorem, vel mansionarium, vel quemquam omnino qui subiectus est regulae pro sui lucri commodo: Is qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subiaceat, et qui ordinatus est nihil ex hac ordinatione vel promotione per

negotiationem facta proficiat, sed alienus sit a dignitate vel solicitudine quam pecuniis adquisivit. Statuit insuper ut siquis mediator exstiterit tam turpibus et nefandis datis vel acceptis et ipse, siquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat, si vero Laicus, aut Monachus, anathematizetur.

Chorepiscopi ii erant qui in pagis nonnulla obibant Episcoporum munia, varium autem fuisse olim chorepiscoporum genus liquet ex Conc. Antiocheno anni CCCXLI. et ex S. Isidori Lib. II. de eccl. officiis. Nonnulli enim fuerant antea ordinati Episcopi, alii meri Sacerdotes, alii denique Diaconi ac varia pro Ordinum gradu munia exercebant Chorepiscoporum.

Quoad ultimam Canonis partem qua Laici et Monachi simoniaci anathemati subiiciuntur, notandum est, pertinuisse olim Monachos ex instituto ad coetum laicorum. Hinc si in crimen incidissent, non suspensionis aut depositionis poenam, quae propria Clericorum est, incurrebant. Cf. S. Athanasium in *Apolog. de fuga sua.*

CANON III.

Canone tertio statuitur, nullum Episcopum, Clericum, vel Monachum aut possessiones conducere, aut negotiis saecularibus se immiscere, nisi pupillorum eis forte leges imponant inexcusabilem curam, aut Civitatis Episcopus ecclesiasticarum rerum sollicitudinem eos habere praecipiat, aut Orphanorum et Viduarum quae sine ulla provisione sunt, ac personarum, quae maxime ecclesiastico indigent adiutorio, et propter timorem Domini hoc ipsum causa deposcat. Siquis autem secus facere tentaverit ecclesiasticis poenis subiacebit.

Hic Canon est unum ex tribus Capitulis ad confirmandum propositis ab Imp. Marciano.

CANON IV.

Canone quarto praescribitur 1) ut qui vere ac sincere monasticam eligunt vitam, honorentur. 2) Ut nullum deinceps fiat Monasterium aut Oratorii domus sine consensu

Episcopi civitatis. 3) Ut Monachi cuiusque civitatis, aut territorii, proprio subsint Episcopo. 4) Ut quietem diligant et intenti sint ieiunio et orationi. 5) Ut nec ecclesiasticis, nec saecularibus negotiis se ingerant, vel communicent nec in aliquo sint molesti. 6) Ut in locis, quibus renuntiaverunt saeculo, permaneant, neque Monasteria sua deserant. 7) Ut servi sine Domini licentia ad Monasteria minime recipiantur. 8) Ut Episcopus Civitatis competentem Monasteriorum curam gerat.

Fundamenta monastici instituti iecit Paulus, qui persecutionem Decii fugiens, adolescens se recepit in desertum Thebaidos. Incrementa vero et ornamenta plurima adiecit Antonius, qui in Aegypti eremum secessit.

Primus fere in Oriente Basilius ex Monacho Episcopus Caesareensis, monachos ex eremo in suam Dioecesim adduxit in eaque varia Coenobia instituit, ut refert Socrates H. E. Lib. IV. Cap. XXI. Roma et universa Italia Monachos et sacras Virgines ab Athanasio Ep. Alex. suscepit, teste Hieronymo; exemplo autem urbis clariores Italiae Civitates Monachos advocarunt curantibus locorum Episcopis, et exinde in circumiacentes insulas instituta monastica migrarunt.

Omnes vero Monachi olim fuere vel Coenobitae vel Anachoretae, sed statim duo alia exstiterunt Monachorum genera. Alterum fuit eorum qui, licet certo loco binique vel trini coniunctim habitarent, praeside tamen destituti, propriam voluntatem, obtentu vitae perfectioris, pro regula amplectebantur vocatique sunt *Sarabaitae*. Alterum vero eorum erat, qui nuspiam consistentes huc illuc vagabantur, unde passim gyrovagi aut errantes appellati sunt. Cf. S. Hieronimum in Ep. XXII. ad Eustochium itemque Cassianum Collat. XVIII. Cap. IV.

His praemissis, nonnulla in Canone adnotamus. Et primo quidem, ubi Monachi ex eremo migrarunt et passim in Civitatibus aut vicis constructa sunt monasteria, requisitum ad hoc fuisse Episcoporum consensum. Ad haec postremis saeculis Pontifices Maximi praescripserunt ut cum nova domus religiosa construenda sit, aliorum Ordinum Regulares in eodem loco degentes audirentur et alii interesse habentes, ut constaret sine aliorum detrimento hos novos conventus sustentari posse. Ita Clemens VIII Const. *Quoniam ad Institutum.* Additum deinde est a Gregorio XV. Const. *Cum alias* ne Monasterium aut domus cuiusque ordinis de novo erigatur, nisi in eo duodecim saltem Religiosi inhabitare ac ex reditibus sustentari possint.

Quoad tertiam Canonis partem adnotamus, ab origine fuisse Monachos Episcopis subiectos, coepisse tamen saeculo VI. et sequentibus privilegia et immunitates a Summis Pontificibus concessas ut eorum quieti consulerent, eosque tutos ab iniuriis et molestiis durisque exactionibus praestarent.

CANON V.

Canon quintus in vigorem revocat Canones iam statutos a SS. Patribus quoad Episcopos et Clericos, qui transmigrant de civitate in civitatem.

CANON VI.

Canon sextus praescribit nullum absolute ordinari posse presbyterum, aut diaconum nec in gradu ecclesiastico constitui, nisi specialiter ei assignetur Ecclesia civitatis aut pagi aut Martyrium aut Monasterium. Eorum vero qui absolute ordinantur, irrita decernitur manus impositio eosque numquam exercere ac ministrare posse ad eius qui ordinavit iniuriam.

Martyrium, quod tertius est titul .s quo Clerici ordinari poterant, locus erat in quo reliquiae Martyrum adservabantur. Ibi Clerici divinos psalmos ad eorum honorem recitare solebant et reliquiis custodiendis invigilabant.

Quoad Monasterium notandum est, primis Ecclesiae saeculis Monachos ut plurimum fuisse laicos, ac proinde unum saltem Praesbyterum eis dari consuevisse, qui Monasterii sumptibus vivens, missarum solemnia celebraret atque aliis fungeretur ecclesiasticis officiis Cf. Epist. XVIII. S. Gregorii M.

CANON VII.

Canon septimus statuit ne qui semel in Clero deputati sunt aut Monachorum vitam expetiverunt, ad militiam vel ad dignitatem aliquam mundanam adsciscantur: hoc vero tentantes et non agentes poenitentiam nec ad superioris vitae institutum redeuntes, anathematis vinculo obstringit.

Ex Canone liquet 1) eodem censu haberi Clericos et Monachos quoad irrevocabilem stabilitatem. 2) Omnes prorsus Clericos vel minoribus ordinibus insignitos ea lege adstringi. 3) Clericos Monachosque desertores non tantum prioribus emolumentis ornamentisque, sed etiam excommunicationis poena fuisse multatos.

CANON VIII.

Canone octavo mandatur ut Clerici qui praeficiuntur Ptochodochiis et qui ordinantur in Monasteriis et Basilicis Martyrum, permaneant sub Episcoporum potestate, qui in civitate sunt, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui vero quocumque modo huiusmodi formam evertere audent, si Clerici sint, Canonum correptionibus subiacent, si vero laici, vel Monachi, communione privantur.

Reddita Ecclesiae pace, coepere statim palam aedificari loca excipiendis et alendis pauperibus aliisque miserabilibus personis destinata, quae generali vocabulo *Hospitalia* dicebantur. Constat vero pro diversitate miseriae cui in hujusmodi locis succurritur, diversa iisdem nomina fuisse indita. Quaedam vocantur *Ptochodochia* i. e. pauperum hospitalia, alia destinata peregrinorum susceptioni dicuntur *Xenodochia*, *Orphanotrophia* ubi Orphani, *Brephotrophia* ubi infantes expositi aluntur. Tandem *Gerontocomia* appellantur loca, ubi senes nutriuntur et *Nosocomia* ubi infirmi curantur.

CANON IX.

Canon nonus vetat quominus Clerici inter se litigantes ad saecularia iudicia confugiant, sed huiusmodi causas apud proprium Episcopum prius cognoscendas decernit vel apud selectos ex Episcopi consilio ab utraque parte Iudices. Si vero Clericus habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, Canon iubet, eam in Synodo provinciae iudicari. Tandem si Episcopus vel Clericus habet querelam adversus eiusdem provinciae Metropolitanum, eam iudicari praescribit aut apud Primatem Dioeceseos, aut ad Sedem Regiae Urbis Costantinopolitanae.

Perperam ex hoc Canone haeretici ac schismatici primatum Romani Pontificis impugnant, aientes ultimum causarum iudicium non Pontifici Maximo deferri, sed Primati Dioeceseos vel regiae urbis Constantinopolitanae Patriarchae. Siquidem Patres Chalcedonenses ponunt in arbitrio litigantis aut dictum Primatem adire, aut Episcopum Costantinopolitanum qui non semel et ipse ad Sedem Apostolicam provocavit, et nonnisi ex locis subiectis eidem Patriarchae ad illum provocare permittitur in Canone. Addendum etiam in hoc canone non agi de appellatione, sed de primo iudicio, a quo proinde semper appellari posset ad Rom. Pontif. iuxta veterem Ecclesiae disciplinam et Canones Conciliorum.

CANON X.

Canon decimus sub poena amissionis gradus prohibet ne in duabus simul Ecclesiis conscribantur Clerici, ac ne qui ex una ad aliam Ecclesiam translati fuerint, prioris Ecclesiae vel Martyriorum, quae sub ea sunt, aut Ptochodochiorum, aut Xenodochiorum rebus communicent. (i. e. ne pensionem aliquam ex eis percipiant.)

CANON XI.

Canon undecimus statuit ut omnes pauperes et indigentes auxilio, cum proficiscuntur, sub probatione epistoliis vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendentur, et non commendatitiis litteris, quae honoratioribus tantummodo personis dandae sunt.

Pacificae et commendatitiae litterae quamvis apud veteres Canones et priscos Ecclesiae Scriptores variis essent generis, attamen, quod attinet ad rem nostram, pacificae litterae erant quae solum laicis dabantur peregre proficiscentibus, ut ad communionem admitterentur et hospitalitatis iure gauderent. Commendatitiae autem litterae videntur esse, quae ad commendationem clericorum et laicorum ab Episcopis et Metropolitanis scribebantur, quorum fide et auctoritate, si quo eundem esset, ii non solum in negotiis ab omnibus adiuvabantur, sed etiam lautius excipiebantur. Hae porro litterae solum dignioribus viris concedi consueverunt.

CANON XII.

Canone duodecimo deponuntur Episcopi qui se ad Principes convertunt ut ab illis obtineant unam provinciam in duas dividi, ita ut ex hoc facto duo Metropolitani in eadem esse videantur. Statuit praeterea ut Civitates quae Principis rescripto iam Metropolis nomine decoratae sunt, solum honorem habeant, salvis verae Metropolis praerogativis.

CANON XIII.

Canon decimus tertius prohibet ne Clerici peregrini, absque proprii Episcopi litteris, ad ministerium exercendum admittantur.

CANON XIV.

Canon decimusquartus. 1) Vetat ne Clerici (Cantores et Lectores) quibus data est in quibusdam locis licentia nubendi, uxores ducant ad sectam quamlibet pertinentes. 2) Edicit eorum filios rite ab haereticis baptizatos communioni Ecclesiae offerendos. 3) Eosdem iterum baptizandos, si alieno ab Ecclesia baptismo initiati essent. 4) Nondum baptizatos nullo modo ab haereticis baptizandos esse. 5) Catholicorum filios non esse matrimonio iungendos cum personis ad sectas pertinentibus, ut haereticis, iudaeis vel paganis. 6) Permitti posse ipsorum coniugia, si primum catholicam fidem suscipere promittant.

CANON XV.

Canone decimoquinto edicitur Diaconissam non esse ordinandam ante quadragesimum annum nec sine accurato examine. Si autem postquam ordinata est et in ministerio aliquandiu permansit, nuptias contraxerit, tum ipsa tum ille cui nupta est anathemate plectitur.

CANON XVI.

Canone decimosexto pronunciatur, Virginibus Deo sacris et Monachis non licere nuptias contrahere. Quod si fecerint, excommunicatione damnantur. Datur tamen Episcopo loci potestas misericordiam humanitatemque confitentibus largiendi.

CANON XVII.

Canone decimoseptimo statuitur, rurales Parochias singularum Ecclesiarum manere inconcussas solis Episcopis qui eas retinere noscuntur et maxime si per tricennium eas absque vi obtinentes, sub dispensatione rexerunt. Quod si intra tricennium facta est vel fiat de iis altercatio, licere eis qui se laesos asserunt, apud Synodum Provinciae de his movere certamen. Quod si quispiam a suo Metropolitano laedatur, apud Primatem Dioeceseos, aut apud Constantinopolitanae civitatis sedem iudicetur. Si qua vero civitas imperiáli potestate novata est, aut si innovetur in posterum, civilibus et publicis ordinationibus etiam Ecclesiarum parochialium ordinationes conformentur.

CANON XVIII.

Canone decimo octavo mandatur, ut si qui Clerici vel Monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes aut insidias ponentes Episcopis aut conclericis, gradu proprio penitus abscindantur.

CANON XIX.

Canone decimonono iubentur Episcopi per unamquamque provinciam bis in anno convenire in locum quem Metropolitanus probaverit, ad corrigenda singula, si quae fortasse

corrigenda emerserint. Episcopi vero qui non accedunt fraterno corripiantur affectu, nisi iusta sit absentiae excusatio.

CANON XX.

Canone vicesimo prohibetur ne ordinentur Clerici in alterius civitatis Ecclesia, iis exceptis qui necessario ad aliam transeunt. Siquis autem Episcopus Clericum susceperit ad alium Episcopum pertinentem, tum qui susceptus est, tum qui suscepit excommunicatur, donec idem Clericus in suam redeat Ecclesiam.

CANON XXI.

Canone vicesimo primo decernitur Clericos aut Laicos qui accusant Episcopos aut Clericos, passim et sine probatione ad accusandum recipi non debere, nisi prius discutiatur qua gaudeant existimatione.

CANON XXII.

Canon vicesimus secundus statuit non licere Clericis post obitum sui Episcopi, res ad eum pertinentes diripere. Quod si facere tentaverint graduum suorum periculo subiiciuntur.

CANON XXIII.

Canone vicesimo tertio contra Clericos et Monachos qui absque missione Episcopi, aliquando vero ab eo communione privati, ad Constantinopolitanam civitatem pergentes ibidem diu morantur, ecclesiasticam disciplinam perturbant, et quorumdam domos subvertunt, decernitur, ut ii per Ecclesiae Constantinopolitanae defensorem prius moneantur ut a civitate discedant. Quod si iisdem negotiis impudenter insistant, per eumdem defensorem expellantur.

CANON XXIV.

Canone vicesimo quarto sancitur ut quae semel ex voluntate Episcopi dedicata sunt Monasteria, perpetuo maneant et res ad ea pertinentes illis reserventur, ita ut ulterius diversoria saecularia non fiant.

CANON XXV.

Canone vicesimo quinto mandatur ut intra tres menses Episcoporum ordinationes fiant, nisi inexorabilis necessitas effecerit, ut ordinationis tempus prorogetur. Metropolitanus autem, nisi hoc fecerit, ecclesiasticae poenae subiicitur. Viduatae porro Ecclesiae reditus apud Ecclesiae Oeconomum integre custodiendos esse decernitur.

CANON XXVI.

Canone vicesimo sexto praescribitur ut omnis Ecclesia Episcopum habens, ex proprio Clero Oeconomum habeat qui res ecclesiasticas dispenset secundum sententiam Episcopi proprii, ita ut Ecclesiae administratio sine testimonio non sit et eius bona non dissipentur.

CANON XXVII.

Canone vicesimo septimo statuitur, ut qui nomine coniugii mulieres rapiunt et cooperantes ac conniventes raptoribus, si sint Clerici, proprio gradu excidant, si laici anathemate multentur.

CANON XXVIII.

Canon vicesimus octavus adserit Ecclesiae Constantinopolitae, eo quod Imperio et Senatu quemadmodum Roma

decoratur, simile cum romanaEcclesia privilegium et dignitatem, cum sit illi secunda, ideoque Ponticam et Asianam et Thraciam dioecesim throno constantinopolitano subiectam esse oportere, earumque Metropolitanos ab Episcopo Constantinopolitano esse deinceps ordinandos.

Praeter hos viginti octo Canones quos hactenus exhibuimus, prostant alii duo huius Synodi nomine apud Zonaram et Balsamonem aliosque graecos recentiores. Quamvis nullus antiquus auctor ipsorum umquam meminerit, pertineantque potius ad Acta Concilii, illos tamen referendos censemus, ut nihil desit ex iis quae caeteri afferre solent in suis Conciliorum collectionibus.

CANON XXIX.

Canon iste agit de Episcopis dignitate motis, statuitque ut, si iusta fuerit causa, sacerdotii quoque gradu quo indigni sunt, excidant, si vero iusta causa non fuerit, utrumque gradum retineant et Episcopatus et Sacerdotii.

CANON XXX.

Canon trigesimus indulget Episcopis Aegypti ut suas ad Epistolam Leonis Pontificis et Synodi decreta possint differre subscriptiones, donec Sedi Alexandrinae per Dioscori abdicationem vacanti, novus fuerit datus Episcopus, praestita tamen cautione vel iureiurando, se his omnibus una cum novo Episcopo absque mora subscripturos.

Synodo absoluta et eius Actis cum synodica epistola Romam perlatis, Summus Pontifex Leo ea solum confirmavit quae catholicam fidem concernebant, non vero eiusdem canones, quorum unum, scilicet XXVIII, diserte reprobavit.

CONCILIUM OECUMENICUM QUINTUM

CONSTANTINOPOLITANUM II.

Nestorianam et Eutychianam haeresim damnaverant utique Oecumenica Concilia Ephesinum et Chalcedonense, nondum tamen protriverant. Pertinax quippe malitia multorum animis insita, eam suscitare et alere non desinebat. Sane Eutychiani, audito Marciani Imperatoris obitu, quem superstitem Chalcedonensis fidei strenuum defensorem fuerant experti, in tantum audaciae proruperant, ut per omnem Asiam ac vicinas Europae regiones omni grassarentur furore, tresque Orientis Patriarchias foede concusserint. Proterium enim Patrum Chalcedonensium decreto Alexandriae subrogatum Episcopum interemerunt in Ecclesiae Baptisterio latitantem, eique Timotheum Aelurum suffecerunt.

Ex altera parte Severus a monastica professione ad Eutychianismum misere deflexerat, ac Flaviani Antiocheni Patriarchae inique deiecti, sedem invaserat.

Nec dispar fuit Constantinopolitanae Ecclesiae conditio tum sub Acacio Episcopo, qui occultus erat Concilii Chalcedonensis impugnator, tum etiam sub Anthimo, qui abdicato Trapezuntis episcopatu, Constantinopolitanam sedem arripuerat.

His calamitatibus accedebat, quod Nonnus et Leontius ex nova S. Sabbae laura Monachi, collectos ex Origenis

voluminibus, forte corruptis, errores per totum ferme Orientem sparserant, nec a Pelagio Vigilii Pont. Max. Apocrisiario, nec a Menna Patriarcha Constantinopolitano comprimi potuerant.

Tandem Theodorus Caesareae in Cappadocia Episcopus aegre ferens quod Origenistae, quibus occulto favebat, essent proscripti, Iustiniano Imperatori suaserat, Acephalos haereticos facile ad catholicam consensionem et Synodi Chalcedonensis reverentiam adduci posse, si quaedam repudianda curaret, quibus illi offendebantur. Adnuit Iustinianus ac edictum tulit quo haec tria complexus est; ut damnaretur Theodorus Episcopus Mopsuestiae, Nestorii olim magister; tum ut notarentur libri a Theodoreto scripti adversus XII. capitula S. Cyrilli Alexandrini in Concilio Ephesino comprobata, quamvis eos libros Patres Chalcedonenses non condemnassent et a Theodoreto id unum requisivissent, ut Nestorium sententia sua improbatum reiiceret; demum ut exploderetur Ibae episcopi edesseni epistola ad Marin Persam, in qua Theodoretum laudaverat, Cyrillum accusaverat, ac Concilium ipsum Ephesinum arguerat perinde ac si in Nestorio damnando praeceps fuisset.

Haec res catholicorum complurium commoverat animos, quod tali Edicto Concilii Chalcedonensis auctoritas convelli videretur.

Enimvero ad haec obtruncanda dissidia, indictum est Concilium Oecumenicum a Iustiniano Imp. Constantinopolim. Quo convenere Patres numero 164, omnes, exceptis octo Afris, Orientales. Inchoatum est Concilium in Secretario Cathedralis Ecclesiae die 5 maii an. 553.

Vigilius Romanus Pontifex non iudicavit expedire ut ipse per se aut per suos Legatos eidem interesset, quamvis tunc temporis Constantinopoli versaretur. Id unum maxime urgebat, ut pari utrinque numero graeci latinique Episcopi convenirent. Cum vero Augustus petitioni non adversaretur, una voce a Graecis reclamatum est, se nempe

ad magnam Synodum vocatos, frustra tantum itineris emensos fuisse si adesse cum aliis non possent: Concilio ipsi auctoritatem adimi, siquidem tam multi reiicerentur: si Latinorum Episcoporum in Graecorum delectu ratio haberi deberet, ob exiguum eorum numerum, omnino futurum esse, ut frequentissimi optimique excluderentur. Nicaenum praeterea et Chalcedonense Concilium commemorabant, quod e graecis constiterat, Legatis tantum ab Urbe missis, qui conventui praesiderent, cavendumque monebant, quum Latini ex praeiudicata opinione pro tribus Capitulis omnes essent, ne, partibus aequatis, pares quoque sententiae forent atque iniudicata omnia remanerent.

His rationibus motus Augustus, posthabitis Vigilii Pont. placitis, synodum inchoari iussit.

In Actione prima lecta est Sacra Divalis Iustiniani per Theodorum Silentiarium ad Synodum perlata, qua Imperator significabat, nihil antiquius sibi fuisse, quam, haeresibus eliminatis, quietem Ecclesiae dare post excitatos ab Acephalis tumultus. Patres ad Trium Capitulorum examen et ad iudicium de illis servandum hortabatur, quae Romani Pontificis iudicato iam confixa essent. Lectae sunt deinde Eutychii Episcopi Constantinopolitani recens ordinati Litterae ad Vigilium datae, fidei professionem ipsius et petitionem continentes, ut praesidente eius Beatitudine, controversia de tribus Capitulis finiretur. Lectae item sunt Vigilii ad Eutychium ipsum litterae. Post haec cum compertum esset, Synodum, Romano Pontifice non praesente, vel eius Legatis, pro Oecumenica haberi non posse, nobilissima ad ipsum Pontificem Maximum destinata legatio Episcoporum est, eum rogans, ut Concilio interesset. Respondit Vigilius, se propter corporis infirmitatem non posse huic postulato satisfacere, postero autem die dicturum se quod ei de tali conventu placuerit; sicque prima Collatio finem accepit.

In Actione secunda, habita die 8 maii, Episcopi ad Vigilium legati exponunt se postridie eum convenisse ac

responsum accepisse, non posse Vigilium una cum ipsis convenire, causatum Occidentalium Episcoporum paucitatem. Sed et cum Imperator ipse ad eumdem denuo accersendum misisset Belisarium cum aliis sex, Vigilius iterum se excusavit dicens, se circa Trium Capitulorum quaestionem seorsim in scriptis sententiam suam dicturum, eamque missurum ad Imperatorem, a quo inducias viginti dierum postulaverat. At Iustinianus eas concedere recusavit. Quare Iudices, Augusti nomine, mandant Episcopis ut, absente licet Vigilio, Synodum habeant. Hac vero peracta relatione, Synodus iussit mitti tres Episcopos, qui tres Occidentales Praesules Constantinopoli degentes ad Concilium invitarent. At illi ad Synodum reversi dixerunt, Primasium recusasse accedere, eo quod Pontifex Max. non esset praesens, Illyricos autem velle deliberare cum eorum Archiepiscopo Benenato.

Actione tertia (die 9 maii) Lectis relationibus actionum praecedentium, Episcopi publicam fidei professionem, eandem fere atque illam quam Imperator Edicto diei 5 maii inseruerat, emittunt, qua se confiteri, tenere et praedicare quatuor generalium Synodorum fidem promittunt ac quemcumque a communione catholicae et apostolicae ecclesiae se separantem anathematizant.

Actione quarta (die 12 maii) leguntur excerpta e scriptis Theodori Mopsuesteni itemque symbolum eius equivocum, ac in eum eiusque scripta dicitur anathema.

Actione quinta (die 17 maii (recitata sunt quae a Sanctis Patribus contra Theodorum Mopsuestenum scripta fuerant et quae contra eumdem sancita erant legibus Imperatorum. Recensita sunt testimonia S. Cyrilli, quibus Theodori errores perstringuntur; lectus est libellus contra Theodorum S. Proclo Episcopo Constantinopolitano oblatus ab Episcopis, Clericis, monachis maioris Armeniae et Persidis, item fragmentum Tomi a S. Proclo ad Armenos dati, plures S. Cyrilli Alexandrini Epistolae, quibus probatum est Nestorium haeresim suam ex Theodoro hausisses epi-

stola Rabulae Edesseni Episcopi contra Theodorum, fragmentum ex historia ecclesiastica Hesychii Presbyteri hierosolymitani, ex quo eiusdem Theodori probata impietas est. Post alia documenta demum lecta est relatio Mopsuestenae Synodi ex eiusque actis patuit, Theodori nomen ex Ecclesiae Diptycis iam olim expunctum fuisse. Ad haec disceptatum utrum liceret defunctos anathemate damnare, quod licitum et quandoque necessarium gravibus rationum momentis probatum est.

Rursus in eadem quinta Collatione expensum est aliud Capitulum, scripta scilicet quibus Theodoretus Cyrilli anathematismos confutaverat.

In Actione sexta (die 19 maii) expensa est Epistola Ibae ad Marin Persam. Tum recitata est Epistola Procli Episcopi Constantinopolitani ad Ioannem Ep. Antiochenum, ubi legitur apud Proclum fuisse Ibam accusatum quod Nestorii dogmata diligeret. Relecta sunt pleraque acta ephesinae Synodi, Epistola secunda S. Cyrilli ad Nestorium et Nestorii ad Cyrillum, Caelestini litterae ad Nestorium, litterae Cyrilli ac Synodi Alexandrinae ad Nestorium cum duodecim anathematismis Cyrilli; tum exhortatio quam Commissarii imperiales ad Episcopos habuerant in Sessione 2ª Concilii Chalcedonensis; epistola Leonis ad Flavianum; Symbolum Nicaenum et Constantinopolitanum, ac denique Synodi Chalcedonensis dogmatica definitio. Cum his omnibus collata Epistola Ibae convicta est erroris, clamantibus Episcopis omnibus: « Epistola haeretica est; epistolam quae dicitur Ibae, omnes condemnamus; epistola aliena Synodo est...... anathema Theodoro et Nestorio et Epistolae, quae dicitur Ibae ».

Dum Patres Sessiones, quas descripsimus, celebrarent, Vigilius Pontifex Imperatori *Constitutum* abtulit de tribus Capitulis die 14 maii redactum, cui Virgilius ipse cum sexdecim Episcopis et tribus Clericis subscripserat. In eo, damnatis refutatisque omnibus quae a Theodoro Mopsuesteno impie scripta repererat, eius tamen memoriae

maiorum exemplo parcendum ostendebat, ac Theodoreto in primis atque Ibae reverentiam exhibendam, quos et Synodus Chalcedonensis honorasset atque catholicos agnovisset.

Actione septima (26 maii) Constantinus sacri palatii Quaestor cum instrumentis probantibus Vigilium Rom. Pontificem Tria Capitula semper exsecratum esse ac damnasse, ad Synodum missus est ab Imperatore. Recitatum itaque anathema latum a Vigilio contra romanos diaconos Rusticum et Sebastianum Iudicati impugnatores et trium Capitulorum defensores, lectae item epistolae a Vigilio de hac controversia scriptae ad Valentinianum Episcopum Tomitanum in Provincia Scythiae et ad Aurelianum Episcopum Arelatensem. Ex quibus omnibus liquebat, Vigilium non semel Tria Capitula condemnasse.

In Actione octava (die 2 iunii), ut in actione praecedenti statutum fuerat, omnibus compendio recensitis, processerunt Patres ad definitivam Trium Capitulorum condemnationem quae his verbis concepta est « Praedicta igitur tria Capitula anathematizamus; id est, Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis eius scriptis, et quae impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam quae dicitur Ibae, et defensores eorum, et qui scripserunt vel qui scribunt ad defensionem eorum vel recta ea dicere praesumunt, vel omnino impietatem eorum nomine Sanctorum Patrum aut Sancti Chalcedonensis Concilii defenderunt aut defendere conantur. »

Huic sententiae subiiciunt Patres anathematismos quatuordecim, quorum tres postremi feriunt tria Capitula, duodecimus non solum Theodori scripta, sed eius etiam nomen et personam defensoresque configit. Decimus tertius et decimus quartus percellunt quidem Theodoreti scripta et Ibae Epistolam eorumque defensores, Theodoretum autem ipsum et Ibam orthodoxos minime perstringunt[1].

---

1 Labente saeculo XVII. Petrus Lambeck in antiquis Codicibus in Viennensi Bibliotheca adservatis reperit quindecim anathematismos contra quindecim propositiones Origeni tributas, qui quidem anathematismi adiudicantur in Collectionibus Conciliorum

Ad Concilii iam absoluti robur et auctoritatem non aliud restare videbatur, nisi ut iis quae tanto animorum consensu peracta definitaque fuerant, Pontificis Maximi, quod plurimum intererat, auctoritas de more accederet. Id vero Iustinianus a Vigilio cum repeteret, hic contra negaret se ab sententia discessurum quam in *Constituto* suo nuper explicaverat, grave inter eos dissidium ortum est. Vigilius solum vertere coactus, nomenque eius sacris Ecclesiae Diptycis est abrasum; par eos etiam qui Vigilio adhaeserant poena sequuta est. Primasium in Acoemetorum Monasterium relegatum esse, Rusticum Diaconum Ecclesiae romanae, et Felicem Hegumenum Monasterii Cilitani in Thebaida cum sociis deportatos, scribit Victor Tunnonensis. Sed Vigilii exilium diuturnum non fuit. Cum enim acta Concilii per otium ei legere licuisset ac tot numero Episcopos uno ore priora quatuor Concilia reveritos. de tribus Capitulis sententiam ita tulisse constaret, ut unum Theodorum Mopsuestenum, quem nemo catholicum habebat, nominatim percellerent, Theodoreti et Ibae nomini plane parcerent; fore autem speraret, si ultro Concilii voluntati assensus esset, ut reditus sibi ad Urbem pateret, Latinosque Episcopos exemplo ipse suo et cohortatione cum Graecis reconciliare aliquando posset, animum denique induxit, ut a prudenti oeconomia quam temporis caussa secutus fuerat recederet atque Augusto morem

Synodo Constantinopolitanae secundae. At perperam. Hi enim adiudicandi videntur Concilio in Constantinopolitana urbe habito sub Menna. Cf. Cave (*Hist. Litter.* ad an. 541. pag. 363 ed. Genev. 1705), Dupin (Nouvelle Biblioth. I. v. p. 204. Ed. Mons. 1691), Valch (Ketzerhist Bd. VII. S. 661. ff. 671., Bd. VIII. S. 281, ff.).

Summa anathematismorum haec est. Damnantur qui asserunt praeexistentiam animarum seu mentium. Qui tenent omnium rerum ex mentibus compositionem et unitatem. Ex iisdem mentibus facta astra; tum homines et Daemones. Angelorum conversionem tum secum tum cum hominibus et Daemonibus reciprocantem. Duplex Daemonum genus. Praeexistentem Christum et ideam mundi. Mundum non creatum sed genitum. Christum per exinanitionem omnia factum. Verbum abusive Deum. Mentem non Verbum incarnatum. Corpus Christi post resurrectionem et Beatorum corpora aetherea ac sphaerica. In Extremo iudicio abolendam omnem materiam seu corpus, solam nudamque mentem superfuturam. Uniendas omnium rerum mentes Deo, ut mens qui Christus dicitur, est unita. Aequalitatem mentis huius cum caeteris: imo unitatem et identitatem. Vitam denique posteriorem praeexistenti priori commensurandam.

gereret, probata Synodo quinta, uti constat ex eius Epistola quae medio saeculo XVII. reperta est.

Neque in hoc, agendi ratio Vigilii damnanda est. Spectata enim Eutychianorum mente, quorum alios damnatio illa Trium Capitulorum reconciliare cum Ecclesia potuisset, alios vero in contemptu Synodi Chalcedonensis obfirmatos ab Ecclesia magis alienasset, anceps omnino erat propositae damnationis effectus. Tum igitur ex hoc capite, tum ex diversa indicandi ratione ortum dissidium occidentales inter atque Orientales, quorum illi a damnatione abhorrebant ob Chalcedonensis Concilii auctoritatem, hi vero (ut Acephalorum fautores mittamus) partim Iustiniani metu, partim pacis studio damnationi favebant. Hinc potissimum repetenda Vigilii fluctuatio, qui semel atque iterum a damnatione abstinendum censuit, ut schisma occidentis praepediret, quique rursum ac postremo, ut reconciliationi acephalorum et paci Ecclesiae consuleret, tria Capitula damnavit. Qua in re Pontifex ille primum temporis causa, ut diximus, prudentem oeconomiam secutus est, deinde vero mutata occidentalium conditione, caussaque melius cognita, summo iure agere constituit.

CONCILIUM OECUMENICUM SEXTUM.

CONSTANTINOPOLITANUM III.

Postquam Orientalis Ecclesia Eutychianorum turbis graviter concussa, pace iterum ac felicitate frui coeperat, alia non minus exitiosa tempestas ab haeresi Monotheletarum eidem ingruit, qui unam in Christo voluntatem atque actionem profitentes, unam eo ipso naturam, quae fuit Monophysitarum haeresis, adstruebant.

Primus haeresis auctor exstitit Sergius Episcopus Constantinopolitanus, qui Cyrum Phasidis in Colchide Episcopum in partes suas pertraxit. Eius ope Cyrus ad infulas Alexandrinas assumptus, triennio post coacta synodo, haeresim primus promulgavit an. christiano 663. Huic synodo Sophronius Monachus adfuit, qui ante anni exitum Hierosolymorum Episcopus renuntiatus est. Is porro, qua erat doctrina et sanctitate, haeresim pro viribus refutare ac delere satagens, Sergium quidem Patriarcham admonuit, ne Synodi capita doli plena reciperet, simulque litteras ad Honorium Pont. Max. perscripsit, eumque de nova exorta haeresi certiorem fecit.

At Sergius ad Pontificem ipsum scribere haud distulit, suisque litteris eum nihil ea de re suspicantem, falsa relatione deceptum, in suam propemodum sententiam deduxit. Illud certe Sergius dolo perfecit, ut Honorius unius vel geminae operationis vocabulum minime usurpandum de-

cerneret silentiumque probaret quo Monotheletae factum iri iactabant, ut per Orientem haereses tollerentur omnes, idemque sentientium Ecclesia una ubique exsisteret.

Interea Sergius Constantinopoli Ecthesim illam heraclianam veneni plenam redigebat, qua omnium veterum Patrum doctrina comprobari affirmabat, unam tantum in Christo voluntatem fuisse. Hunc ille libellum quum absolvisset, Heraclium Augustum dolo aggressus, in eam sententiam adduxit, ut Ecthesim nomine suo promulgaret omnesque in provincias transmitteret, eodemque tempore, Synodo Constantinopoli coacta, effecit, ut eam plures Episcopi subscriptione sua comprobarent.

Ad haec Sergius, accepto Honorium Pont. Max. Romae decessisse, curavit, ut Imperator, Ecthesi in Italiam missa, Isacio Exarcho mandata daret, ne Pontificem romanum renuntiari pateretur, nisi qui antea Ecthesim amplexus esset. Fuit hoc postremum Sergii facinus, siquidem Decembri mense, cum iam haeresim a se institutam praesidioque Principis firmatam esse laetaretur, e vivis excessit. Ei suffectus est Pyrrhus, qui synodo ad decessoris sui normam indicta, ecthesim comprobavit.

Haec fuere exordia illius haeresis ac turbarum inde exsistentium quas longa aetas sedare vix potuit, unde discordiarum velut incendium exortum est, quo tota Orientalis Ecclesia conflagravit, quodque multo diutius perdurasset, nisi Constantini Pogonati opera et generalis Concilii auctoritate extinctum fuisset.

Sane Constantinus, pace cum Saracenis inita, ad Donum Pontificem Maximum litteras d dit eum rogans, ut Legatos suos Synodo celebrandae Constantinopolim mitteret. Quas litteras Donus morte praereptus non accepit, has successor eius Agatho legit, qui tam iustae petitioni libentissime annuit. Iam enim huic haeresi damnandae Synodos pluribus in provinciis indixerat, et Concilium Romae an. 680 coegerat centum viginti Episcoporum. Post aliquot menses tres Legatos Constantinopolim misit Theo-

dorum scilicet et Georgium presbyteros cum Ioanne diacono, additis ad Imperatorem litteris quibus habendae Synodi forma praescribebatur. Nomine romanae Synodi missi illuc etiam fuere Ioannes Ep. Portuensis, Abundantius Ep. Paternensis et Ioannes Ep. Rhegiensis.

Celebratum est Concilium in Palatii aula cui Trullus nomen erat, inceptum die 7 nov. an. 680, absolutum die 16 sept. an. 681.

Adfuerunt universim Episcopi 174 et Constantinus Imp. cum primariis aulae Comitibus.

In Actione prima Legati Pontificii repetunt causam et originem monothelismi a Patriarchis Constantinopolitanis ante quadraginta sex annos introducti, ab Apostolica Sede damnati. Georgius Constantinopolitanus et Macarius Antiochenus Patriarcha una cum quibusdam Episcopis iussi ab Imperatore rationem reddere novi dogmatis, fatentur, se illius sectatores esse, illudque a Conciliis, Patribus et viris qui haeresis auctores vel fautores fuere, accepisse. Leguntur exinde acta Concilii Ephesini, eaque Monotheletis neutiquam suffragari deprehenduntur.

In Actione secunda habita die 10 novembris dum Acta Concilii Chalcedonensis leguntur eisque inserta Leonis epistola dogmatica, ut ventum est ad ea verba « Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit. Verbo quidem operante quod Verbi est, carne autem exsequente quod carnis est, et horum unum coruscat miraculis, aliud vero succumbit iniuriis. » Legati Pontificis ostendunt, his verbis Leonem aperte docuisse duas in Christo naturales operationes inconfuse et indivise, eam vero epistolam a IV. Oecumenica Synodo acceptatam fuisse tamquam orthodoxae fidei fundamentum. Monotheletae vicissim ea exponere conantur per actionem theandricam, at de hac ipsa operatione interpellati, non habuerunt quid ulterius reponerent.

In Actione tertia habita die 13 nov. leguntur Acta quinti Concilii Oecumenici, ad cuius initium cum commen-

titia quaedam Mennae Episcopi Constantinopolitani ad Vigilium Epistola legeretur, in qua dicebatur unam in Christo voluntatem esse, hanc suppositiam esse et Monotheletarum fraude Actis insertam probarunt Legati Pontificis. Ad haec, Monotheletae deprehensi sunt corruptores secundi etiam Libri Actorum eiusdem Concilii.

In Actione quarta (die 15 nov.) duae Epistolae dogmaticae, quarum altera Agathonis Pontificis, altera Concilii romani leguntur, quibus solide ostendebatur, duas in Christo esse voluntates atque operationes, nullumque ex Romanis Pontificibus a vera fide unquam defecisse.

In Actione quinta (die 7 dec.) Macarius eiusque asseclae exhibent duos Codices inscriptos « Testimonia Sanctorum Patrum unam D. N. Iesu Christi voluntatem docentium » et « Sequentia testimoniorum de voluntate. »

In Actione sexta tertius etiam Codex a Macario allatus legitur. Obiiciunt Legati Pontificis decurtatos dolo malo fuisse textus atque corruptos, ac petunt ut ex patriarchio Codices Patrum genuini afferantur, quo fraudes adversariorum patefiant.

In Actione septima Legati Agathonis Codicem testimoniorum vero dogmati faventium proferunt, quorum fidelitas post Codicum collationem ab ipsis adversariis agnita est.

In Actione octava (7 martii) Georgius Constantinopolitanus aliique complures Episcopi cum Sanctis Patribus de gemina Christi voluntate et operatione sentire se ac credere profitentur, quaeque Agatho docebat tamquam a Spiritu Sancto dictata per os sancti ac beatissimi Apostolorum Principis Petri et digito ter beatissimi Papae Agathonis scripta, suscipere et amplecti.

Post haec Theodorus Melitenus Episcopus, acceptum, ut aiebat, a Stephano Abbate Macarii discipulo Libellum obtulit, quo continebatur nihil in fide decernendum, praeter ea quae in sanctissimis Conciliis decreta essent, et quod sufficeret in duabus naturis unam operationem confiteri,

ideoque de duabus voluntatibus in Christo tacendum videri. Facta suffragiorum collatione, cum ille ab Imperatore interrogatus unde libellum accepisset, iterum Stephanum Macari discipulum nominasset atque adeo ipsum, reliquosque Macarii discipulos de Monotheletarum haeresi sugillasset, exsurgentes ipsi discipuli contestati sunt, Theodorum Melitenum Episcopum esse mentitum seque paratos esse ad fidem catholicam profitendam. Quod ut facerent, sequenti Actione Synodus eisdem mandavit.

Exinde Macarius ut duas in Christo naturales voluntates et operationes atque dogmaticas Romanae Ecclesiae litteras profiteretur, rogatus et monitus, pertinaciter renuit. Quare anathemati subiicitur et pallio nudatus a sessionibus excluditur.

In Actione nona (die 8 martii) continuatur lectio testimoniorum, quae Macarius collegerat cum Stephano eius discipulo, ac in utrumque depositionis sententia pronuntiatur. Episcopis et Clericis, qui errorem abiuraverant servata est dignitas ea lege, ut fidei libellos cum iureiurando Synodo offerrent.

In Actione decima (die 18 Martii 681.) confertur Codex Romanus cum libris Patriarchii Constantinopolitani, et in omnium consessu cognitum, probatum et declaratum est, Patrum testimonia in eo contenta cum graecis codicibus in omnibus convenire. Lecta sunt autem non modo Patrum testimonia duas in Christo voluntates et operationes asserentium, verum etiam testimonia haereticorum.

Post haec petierunt Legati Romani Pontificis, ut legeretur e Codice in bibliotheca patriarcali asservato, textus Apollinaris haeretici, qui in eorum collectione non inveniebatur, ac deprehensum et Apollinarem doctrinam unius energiae iam docuisse. Tandem recepta est fidei professio Theodori Meliteni eiusque asseclarum.

Actione undecima (die 20 Martii) iuxta petitionem Gregorii Monachi qui repraesentabat Theodorum hierosolymitanum, lecta est epistola synodica Sophronii ad Sergium,

quae cum omnium iudicio approbata fuisset, ad haeresim Macarii eiusque discipuli magis publicandam utriusque scripta recitari mandatum est, in quorum uno Macarius Honorium Pontificem Max. inter Monotheletas enumerabat. Exinde Imperator rebus politicis distentus, Synodum reliquit, declarans Constantinum et Anastasium patricios. Polyeuctum et Petrum exconsules eius vice interfuturos.

Actione duodecima (die 22 Martii) missae sunt ab Imperatore ad Synodum chartae quaedam, quas a Macario acceperat, inter quas erant litterae Sergii Patriarchae Constantinopolitani ad Cyrum Phasidis Episcopum, epistola Mennae ad Vigilium et huius litterae ad Justinianum Imperatorem et Theodoram Augustam, quae cuncta fuisse falsitatis convicta excepit Synodus; tandem litterae Sergii ad Honorium Pontif. Max. et Honorii ad Sergium et cum ipsis originalibus quae in Patriarchio Constantinopolitano asservabantur collatae fuerunt. Tandem Imperatoris vicarii quaesierunt an Macarius, si eum poeniteret, aliquid de sua dignitate servare posset. Negavit Synodus, eosque induxit ad exhortandum Imperatorem ut loco Macarii alium sineret Episcopum Antiochenum nominari. Tunc illi Patribus auctores fuere, ut in actione proxima suam sententiam aperirent circa Sergium, Honorium et Sophronium.

Actione decima tertia (28 Martii) lata est sententia in haereticos Monotheletas ac nominatim adversus Sergium, Pyrrhum, Petrum et Paulum episcopos olim Constantinopolitanos, nec non contra Cyrum Alexandrinum et Theodorum Episcopum Pharanitanum et Honorium sequenti formula « Has (litteras) invenientes alienas omnino exsistere ab apostolicis dogmatibus et a definitionibus SS. Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnino abiicimus et tamquam animae noxias exsecramur. Quorum autem impia exsecramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei Ecclesia proiici iudicavimus id est Sergii, Cyri, Pyrrhi, Petri, Pauli, atque Theodori. Cum his vero simul proiici a Sancta Dei

Ecclesia catholica, simulque anathematizari praevidimus et Honorium qui fuerat Papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta quae ab eo facta ad Sergium quia in omnibus eius mentem sequutus est et impia dogmata confirmavit [1] ».

Deinde cum Georgius Chartophylax, iussus scripta in hanc rem omnia proferre, attulisset alteram Honorii epistolam, dixit Synodus « Comperimus eam in unam eamdemque ferri impietatem et statuimus ut ea tamquam profana et animae perniciosa, igne penitus aboleatur, » et combusta est.

Actione decimaquarta (die 5 Aprilis) cui interfuit Theophanes etiam, novus Antiochiae Patriarcha, discussio quoad authenticitatem Actorum Synodi Quintae Oecumenicae resumpta est. Examinatis codicibus in quibus epistolae Vigilii ad Iustinianum Imperatorem et Theodoram Augustam continebantur, constitit, illas non inveniri in antiquis, additosque haud ita pridem fuisse tres quaterniones novos in Synodi initio, in Actione vero septima illius Synodi mutatum fuisse quintum decimum quaternionem adiectumque quadrifolium non subscriptum ante decimum sextum quaternionem. Quamobrem Patres decreverunt chartaceum volumen quod falsatum erat, cassari in locis in quibus adiectiones erant factae, et anathema dixerunt libellis qui dicebantur scripti fuisse a Vigilio ad Iustinianum et Theodoram.

Quinam vero corruptores exstiterint inquisitum non fuit, spontanea tamen Macrobii Episcopi Seleuciensis confessio demonstravit, Vigilii libellos a Paulo Constantinopolitano compositos ab eoque et Theodoro Constantinopolitano et

1 Exstat adhuc Honorii ad Sergium responsio neque in ea quidquam definitur de unica vel duplici Christi voluntate, sed probatur proposita a Sergio oeconomia ut nempe his de rebus sileatur. Ceterum ut notat E. Cardinalis Sfondratus (Lib. de Sacerd.) « Brevia, rescripta, responsa Summorum Pontificum ad privatas Ecclesias, quales sunt Honorii epistolae ad Sergium, non habentur ut ultimum iudicium, nec ullo modo comparari possunt cum Constitutionibus Apostolicis, in quibus aliquid vel damnandum vel credendum proponunt Universali Ecclesiae. »

Macario Antiocheno adiici iussos diversis Synodi exemplaribus.

Actione decimaquinta (die 26 Apr.) Polychronius Presbyter et Monachus, Macarii Antiocheni et Stephani Abbatis discipulus, suam fidei professionem super mortuum poni postulavit, spondens illum se suscitaturum ut fidei suae veritatem comprobaret, quam caelestibus visionibus iam confirmatam mentiebatur. Quod cum extra aulam Conciliarem praestitisset ac mortuum non suscitasset, exclamavit populus « Novo Simoni anathema, Polychronio seductori populi anathema! » Post haec in locum Synodi redactus, cum nollet haeresim abiurare, veluti seductor populi et manifestus haereticus depositus et anathematis vinculo obligatus est.

Actione decimasexta (die 9 Aug.) Constantinus Apameensis presbyter professus est, se ad concordiam ineundam inter Catholicos et Monotheletas medium invenisse, scilicet ut dicerentur in Christo duae operationes una vero voluntas. His auditis, exclamavit Synodus « haec secta Manichaeorum est: haec est fides Apollinarii : anathema illi cum suis dogmatibus: Novo Apollinario anathema : foras mittatur Manichaeus. Omnibus haereticis anathema ».

In eadem actione petens Georgius Constantinopolitanus Episcopus ut, si fieri posset, omitterentur in damnatione nomina Sergii, Pyrri, Pauli et Petri decessorum suorum, auditus non est. Sequutae sunt acclamationes tum Constantino Imperatori, tum Agathoni Pontifici et paulo post adiuncta anathemata in singulos nominatim haereticos eorumque fautores, Theodorum Pharanitanum, Sergium, Cyrum, Honorium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Macarium, Stephanum, Polychronium, Aspergium.

Actione decima septima (die 11 Sept.) quae graece non exstat, concepta fidei definitio Episcopis legitur ac singulis examinanda traditur ea mente ut in proxima Actione promulgetur.

Actione decima octava (die 16 Sept.) rediit Constantinus Imperator ac Synodo interfuit. Omnium subscriptione firmatur fidei definitio, quae compendium epistolae ab Agathone scriptae referebat, adiecto anathemate contra Monothelismi auctores et fautores, queis Honorius iterum accensetur. Post haec sequuntur faustissimae acclamationes optimo Principi, qui vicissim Synodo gratias agit quod haeresim profligavit. Unanimi denique consensu scribunt Patres synodicam relationem ad Agathonem Pont. Max., quam cum Concilii Actis transmittunt Romam, ab eo postulantes ut Synodum eiusque canonicas sanctiones auctoritate apostolica confirmaret. At priusquam Imperatoris, ac Synodi Epistolae in urbem perferrentur, Agatho e vita migraverat. Agathoni suffectus Leo II, acceptis Synodi actis atque epistola Imperatoris, ad hunc litteras misit, quibus hanc sextam Synodum confirmavit [1] ».

1 Episcopi, maximam partem Orientales, qui Honorium in sexta Synodo damnarunt, licet in re dogmatica post Leonis II litteras acta Synodi confirmantes summam reverentiam mereantur, deseri tamen possunt ac debent in re historica, quae ad Honorii personam pertinet.

S. Leo vero qui Synodum ipsam confirmavit, ratam non habuit damnationem Honorii, quem propterea damnatum censuit ab orientalibus quod « flammam haeretici dogmatis non ut decuit apostolicam auctoritatem incipientem extinxit, sed negligendo confovit ».

CONCILIUM OECUMENICUM SEPTIMUM

NICAENUM II.

Celebrationi huius Concilii occasionem dedit abdicatio Pauli Patriarchae Constantinopolitani, qui, tuendae licet augendaeque religionis studio ferveret, humanis tamen ductus rationibus Iconoclastarum haeresi faverat. At gravi subinde morbo correptus, sedi renunciavit, habitumque monasticum induit.

Irene Augusta quae cum filio Constantino faustis auspiciis imperare coeperat, virum eximium populique votis expetitum Tarasium ad Constantinopolitanam sedem promovendum curavit. Nihil vero pientissimae Augustae antiquius fuit, quam ut opem afflictis Ecclesiae rebus afferret debitamque sacris imaginibus reverentiam in regia urbe restitueret. Hinc tum ipsa eiusque filius, tum Tarasius Hadrianum Pont. Max. per litteras rogant, ut Constantinopolim veniat, quo synodice antiqua Patrum traditio confirmetur, vel saltem legatos mitteret, qui eius locum tenerent. Hadrianus, datis ad Irenem et Constantinum litteris, quae adhuc exstant in Actione II. huius Synodi, ipsos hortatus est ad exhibendam Sedi Apostolicae reverentiam; multa protulit ad sacrarum Imaginum venerationem asserendam; eos rogavit, ut, praesentibus Apostolicae Sedis Legatis, Constantinopolitanam Pseudo-synodum Iconomachorum refutandam curarent, utque ipsa cum

filio et Patriarcha et Senatu regiae urbis iureiurando confirmarent, se partibus non favere nec vim ullam illaturos Apostolicae Sedis Legatis, sed eos honorifice excepturos. Institit praeterea ut Patrimonia B. Petri ab orthodoxis Principibus ad luminarium concinnationem et pauperum alimoniam olim collata, nec non consecrationes Episcoporum, quae ex veteri iure ad Romanam Sedem spectabant, in integrum restituerent. Tandem Tarasio novo Patriarchae succensuit duplicem ob causam, primo scilicet quod se universalem Patriarcham inscripserit, secundo quod ex laico Episcopus subito factus fuerit. Quare illius electionem ut perperam et contra Canones peractam improbavit, non tamen rescidit, sed ea tantum conditione ratam habuit ut ille restituendis sacris imaginibus operam sedulo impenderet.

Misit Hadrianus Legatos Petrum et Paulum ecclesiae romanae presbyteros, qui suo nomine Concilio praesiderent quod Constantinopoli coactum est in ecclesia sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Verum cum praetoriani Milites, qui Constantino Copronymo adhaeserant, eoque imperante, haeresim iconomachorum imbiberant, ab Episcopis eiusdem factionis incitati, ad locum Synodi accederent ac orthodoxos Episcopos turbarent, Synodum in aliud tempus differendam esse visum est. Attamen soluta synodo, ac seditione sopita, omnes Episcopi Constantinopoli remanserunt, exceptis Legatis Pontificis, qui in Siciliam reversi sunt, quique paulo post ab Irene atque eius filio invitati Constantinopolim remigrarunt. Nam Imperatrix, simulans exercitum adversus Arabes educere, praetorianos milites ex urbe egressos arma deponere coegit, substitutisque ducibus ac militibus ipsi faventibus, Episcopos Nicaeam Bythiniae ad Synodum convocavit, quae die 24 Sept. an. 787 inchoata est.

Adfuerunt ex toto Oriente Episcopi 367 vel, ut alii referunt, 330, praeter Archimandritas et Monachos plurimos.

Actione prima, post brevem appositamque Tarasii orationem, tres Episcopi, Basilius Ancyranus, Theodorus Myrensis, ac Theodosius Ammonius, qui haeretica labe infecti fuerant, veniam petentes, introducti sunt. Antequam vero eis loquendi potestas fieret, lecta est sacra imperialis quam Hadrianus P. M. publicari iusserat et qua inter alia decernebatur, ut cuique plena loquendi libertas in Synodo esset, utque litterae ab ipso Pontifice per Legatos missae in solemni consessu legerentur. Lectione absoluta, tres Episcopi suam abiurantes haeresim, post editam fidei professionem atque anathema dictum haeresi Iconomachorum, admissi sunt in Concilium. Exinde septem alii Episcopi, qui tumultum anno superiore suscitarant, veniam implorant. Patres, perlectis quibusdam canonibus ac Patrum epistolis de receptione resipiscentium ab haeresi, eorum restitutionem in aliam sessionem reiiciunt.

Actione secunda habita die 26 Sept. audientiam et gratiam petiit a Synodo Gregorius Neocaesareensis Episcopus. Eius conversionis causas, modum ac veritatem discussit Tarasius, reconciliationem vero distulit in Actionem sequentem. Exinde lectae sunt Hadriani P. M. ad Irenem et Constantinum litterae, ac Epistola eiusdem Pontificis ad Tarasium. Post haec Apostolicae Sedis Legati a Tarasio expostulant an consentiat litteris Sanctissimi Papae Hadriani; cumque respondisset ille se eas probare, iterum Legati a caeteris Praesulibus idem percontantur, qui una voce responderunt: « Sequimur et suscipimus et admittimus: » easque litteras subscriptione sua confirmant.

Actione tertia (die 28 vel 29 Sept.) proposita est primo causa Gregorii Neocaesareensis Episcopi eiusque fidei declaratio, quem cum nonnulli in Ecclesiam tantum non item ad Episcopatum esse recipiendum dixissent, eo quod Iconomachorum antesignanus fuisset atque orthodoxos, persecutionis tempore vexasset, decretum est tandem, ut una cam aliis lapsis ac resipiscentibus, maxime quia obiecti criminis convinci non posset, suae Sedi restitueretur. Post

haec recitatae sunt litterae, quas Tarasius dederat ad Patriarchas Orientales quasque eorumdem Patriarcharum nomine Monachi Palaestinae Ioannes et Thomas Tarasio reddiderant ac synodica defuncti Theodori Patriarchae hierosolymitani. Quibus probatis, Legati Sedis Apostolicae trecentorum decem et octo Patrum nomine, qui iam longe antea in eadem civitate Concilium primum oecumenicum celebraverant, aliter sentientibus anathema dixerunt.

Actione quarta (die 1 Oct.) primo quidem ex divina Scriptura tam Veteris quam Novi Testamenti, inde vero ex sanctorum Patrum aliorumque veterum scriptorum libris recitati sunt textus pro cultu sacrarum Imaginum, allata sunt exempla et miracula in eundem finem divinitus edita, lecta Epistola Gregorii III R. P. ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum. Tum, prolatis in haereticos anathematis, concepta est professio fidei et singulorum Episcoporum subscriptione munita.

Actione quinta (die 4 Oct.) variis testimoniis ostensum est a Tarasio Iconomachos Iudaeorum, Saracenorum, Gentilium, Samaritanorum et Manichaerum sectarios esse ab iisque errorem suum hausisse. Patefactae sunt haereticorum fraudes in codicibus interpolandis, ac praeeuntibus Legatis Pontificis, editum est decretum de restituendis sacris imaginibus iteratumque contra Iconoclastas anathema.

Actione sexta (die 6 Oct.) lecta sunt Acta Pseudosynodi Constantinopolitanae sub Copronymo celebratae ac singillatim refutata et damnata.

Actione septima (die 13 oct.) edita est definitio fidei, ubi non modo fidei symbolum continetur, sed insuper sex Concilia Oecumenica agnoscuntur atque haeretici ab iis proscripti rursus damnantur, et nominatim de sacris imaginibus sic statuitur: « Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum nostrorum magisterium, definimus sicut figuram Crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex

alia materia congruenter se habente in sanctis Dei Ecclesiis et sacris vasis et vestibus et in parietibus, ac tabulis, domibus et viis, tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae Dominae nostrae sanctae Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum et omnium Sanctorum. Qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad prototyporum memoriam et desiderium et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impertiendam: ita ut istis, sicut figurae pretiosae ac vivificae Crucis et Sanctis Evangeliis et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit. »

Actio octava habita est Constantinopoli, quo Constantinus et Irene Episcopos vocaverant, die 23 octobris. Post orationem habitam a Tarasio lecta est definitio fidei edita Nicaeae in Actione praecedenti iussique sunt Patres dicere num omnium consensu fuisset recepta. Omnes exclamaverunt: « Ita credimus, ita omnes sentimus, omnes consentiendo subscripsimus. » Faustis acclamationibus Constantinum et Irenem prosequuta est Synodus, ac Patres muneribus aucti ad suas Ecclesias rediere. Litteras demum dedit Tarasius ad Hadrianum Pontificem Maximum, quibus rerum omnium quae gesta fuerant, rationem reddit. Is autem Synodum quidem non confirmavit datis pro more ad Augustos vel Ecclesias litteris, nec eam quoad Canones omniaque in Actionibus dicta approbavit, sed fidei decretum, iuxta ea quae antea docuerat, ratum confirmatumque habuit. Summa Canonum in Concilio editorum haec est.

CANON I.

Canon primus praecipit ut omnes Canones serventur, tum scilicet illi qui ab Apostolis editi sunt, tum ii qui a sex sanctis et universalibus Synodis, atque a Conciliis

particularibus, in expositionem huiusmodi Decretorum promulgati sunt, nec non et ii, qui a SS. Patribus prolati fuisse probantur. Anathematizat deinde quos illi (Canones) anathemate percellunt, quos vero depositioni subiiciunt deponit, quos segregationi, segregat, quos poenae tradunt, eidem submittit.

Cum in hoc Canone confirmentur Canones a sex universalibus Conciliis editi, compertumque iam sit nec a Quinta nec a Sexta Synodo ullos editos esse Canones, dubitari nequit quin Patres Nicaeni Trullanos Canones universalibus Synodis Quintae et Sextae adscripserint eosque confirmaverint. Cum enim Synodus Trullana ad supplementum Quintae et Sextae coacta fuerit atque ideo *Quini-Sexta* appellata, eius Canones potuerunt illis Synodis adscribi. Ceterum notandum est hos Canones Nicaenos non fuisse ab Apostolica Sede probatos.

CANON II.

Canon secundus statuit neminem ad Episcopatum evehendum, nisi Psalterium noscat. Examinari deinde Episcopum vult a Metropolita si in promptu habeat legere scrutabiliter et non transitorie tam sacros Canones, quam divini Apostoli Librum et omnem divinam Scripturam, atque secundum Dei mandata conversari et docere populum sibi commissum velit. Quod si disceptaverit, iubet ut nullatenus consecretur.

CANON III.

Canon tertius praecipit ut omnis electio a Principibus facta Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irrita maneat.

CANON IV.

Canon quartus statuit ne Episcopus turpis lucri gratia, aurum, vel argentum, vel aliud quidpiam exigat ab his qui sibi subsunt Episcopis, vel Clericis vel Monachis. Quod

si aliquis Episcopus propter exactionem auri vel alterius cuiuslibet speciei, aut propter proprium vitium inventus fuerit coercens a ministerio, vel sequestrans aliquem Clericorum, aut venerabile Templum claudens, ne in eo Dei ministeria celebrentur, simili poenae (id est depositioni) declaratur obnoxius.

CANON V.

Canon quintus iubet ut ii qui gloriantur se pecunia obtinuisse ecclesiasticum gradum, et eos qui nulla data pecunia, ob virtutem vitae a Sancto Spiritu electi et constituti sunt inhonorant, primo quidem in extremum ordinis sui locum amandentur, et si adhuc a malitia non discedant, ab Episcopo puniantur. Siquis autem aurum obtulerit ad consecrationem recipiendam, tam ipse, quam Episcopus ordinans depositioni subiicitur.

CANON VI.

Canone sexto praescribitur ut quolibet anno in unaquaque Provincia Synodus Episcoporum habeatur. Si aliquis Princeps hoc prohibeat, communione privatur: siquis vero Metropolitanus hoc neglexerit sine rationabili causa, poenis canonicis subiicitur. Prohibetur denique Metropolitano aliquid exposcere ab Episcopis, sub poena solvendi quadruplum.

CANON VII.

Canon septimus mandat sacras reliquias Martyrum collocari in templis quae absque illis consecrata sunt: eos vero, qui templum, iis non adhibitis, consecraverint, deponi iubet.

Ritus hic primum observari coepit in ecclesia romana, ex qua deinde ad alias ecclesias dimanavit. De S. Felice I. Rom. Pont. sic habet Liber Pontificalis « Hic constituit supra sepulchra aut memorias

Martyrum Missas celebrari. » Ex hoc ritu ait Schelstratius in notis *ad Lib. ipsum Pontif. sub Felice*, profluxisse ritum Ecclesiae consecrandi Altaria cum Martyrum reliquiis, quae sub illis ab Episcopo consecrante reconduntur.

Neque vero ad hoc necessaria erant integra Sanctorum Corpora, suffecisse enim parva ex eis frusta docet Theodoretus in ep. CXLIV ad Rom. Milit. Multa de hoc ritu videsis apud Ioannem Bona Lib. I. *Rerum Liturg.* Cap. XIX. n. 5.

CANON VIII.

Canon octavus praescribit ut Iudaei simulantes conversionem ad christianam religionem, ac mox Christum subsannantes, clam et latenter sabbatizantes et alia Iudaeorum more facientes, neque in communionem, neque in orationem, neque in Ecclesiam suscipiantur, neque eorum pueri baptizentur, neque servum (christianum) emere vel adquirere sinantur. Si vero iudaeus sincere se converterit, suscipiatur et baptizetur cum eius filiis.

CANON IX.

Canon nonus iubet omnia scripta adversus sacras imagines edita, deponi in Episcopio Constantinopolitano, ut recondantur cum caeterorum haereticorum libris. Siquis autem ea celare inventus fuerit, siquidem Episcopus aut Presbyter vel Diaconus fuerit, deponitur, si vero Monachus vel Laicus ecclesiastica communione privatur.

CANON X.

Canon decimus contra Clericos qui relinquunt propriam Parochiam et ad alias migrant et maxime in Urbe Constantinopolitana se apud Principes locant, in eorum Oratoriis Missas facientes, statuit, ne quis eos suscipiat in sua domo vel Ecclesia, sine consensu Episcopi proprii et Episcopi Constantinopolitani. Qui vero id egerint et perse-

veraverint, deponuntur. Statuit insuper, illis qui consensu praedictorum Episcoporum hoc fecerint (qui scilicet munus Sacellani acceptant apud Principes) non licere mundanas et saeculares curas suscipere.

Si aliquis ex his munus *Maioris* susceperit, aut illud deserat aut deponatur, potius autem maneat ad magisterium tam puerorum quam famulorum, relegens eis divinas Scripturas; ad hoc enim etiam, Sacerdotium consecutus est.

Quodnam esset eorum munus qui *Maiores* appellabantur, coniici potest ex Can. XI. primae et secundae Synodi Constantinopoli in Templo Sanctorum Apostolorum habitae, quem affert Zonaras, seu munus illud erat quo insigniti in agris Magistratuum curationem exercebant.

CANON XI.

Canon undecimus praecipit, ut quaelibet Ecclesia Oeconomum habeat, et ut in Ecclesiis Metropolitanis, in quibus nulli ordinati sunt Oeconomi, Patriarcha Constantinopolitanus eos constituat. Metropolitanis autem ius idem asseritur quoad Ecclesias suffraganeas, ubi harum episcopi negligentes fuerint in constituendis Oeconomis, et hoc ipsum servari iubetur in Monasteriis.

CANON XII.

Canone duodecimo inhibetur Episcopo et Abbati bona Episcopii vel Monasterii Principibus addicere, etiamsi praetenderint illa bona damnum facere et nullum inde percipi fructum, in hoc enim casu dicitur addicendos potius esse agros illos Clericis vel Agricolis. Quod si versute ac dolose Clerico quidem aut Agricolae detur ager, sed ab eo postea cuidam Principi mancipetur, venditio irrita decernitur, ac possessio Ecclesiae restituenda, et qui rem huiusmodi admiserit, sive Episcopus sive Abbas sit, e dignitatis gradu deiici ac deturbari iubetur.

CANON XIII.

Canone decimo tertio sic statuitur: Cum a quibusdam viris quaedam venerabiles domus, tam videlicet Episcopia quam Monasteria, subrepta fuerint et facta sint communia diversoria, siquidem voluerint ii qui haec retinent ea reddere, bene et optime; alioquin, si Clerici sint, deponantur, si vero Monachi vel Laici, excommunicentur.

CANON XIV.

Canon decimus quartus vetat Clericos, qui a parvula aetate tonsuram receperunt, nondum vero ab Episcopo manuum impositionem, ex ambone legere, atque id etiam de Monacho statuit. Privilegium autem Abbatibus concedit, si presbyteri sunt et episcopali benedictione consecrati, Monachos suos lectores creandi. Simili modo secundum antiquam consuetudinem Chorepiscopis, Episcopo annuente, lectores ordinare permittit.

CANON XV.

Canon decimus quintus vetat ne Clericus in duabus connumeretur Ecclesiis, nisi sit clericorum penuria.

CANON XVI.

Canone decimo sexto Clericis interdicitur ne splendidas et insignes induant vestes, neve unguentis se delibuant.

CANON XVII.

Canon decimus septimus iniungit Episcopo, ne nova Oratoria exstrui Monachis, Clericis vel Laicis permittat,

nisi ea suppetant quae ad perfectam fundationem sufficere possint.

Iampridem tum sacris Canonibus, tum legibus Imperatorum cautum fuit ne Ecclesiae vel Monasteria sine dote fabricae, ministris aliisque necessariis construerentur. Porro in praesenti Canone clare indicant Patres se propterea id statuisse quod quidam Monachi, cum in propriis Monasteriis subesse Abbatibus nollent, nova Monasteria construere aggrederentur, quibus imperitarent, etsi requisitis ad eorum fundationem subsidiis carerent.

CANON XVIII.

Canon decimus octavus statuit ut siquis ancillam vel liberam in Episcopio possidere deprehensus fuerit vel in Monasterio ad ministerium aliquod obeundum, puniatur, et si perseveret, deponatur. Si vero etiam in suburbanis mulieres esse contigerit et voluerit Episcopus vel Monasterii Praefectus illic iter facere, praesente Episcopo vel Monasterii Praefecto, mulier eo tempore nullo modo ministerium obeat, sed alio in loco seorsim degat, donec recesserit Episcopus vel praeses Monasterii.

CANON XIX.

Canon decimus nonus, indicta depositionis poena, prohibet Episcopis, Abbatibus, aliisque ex sacerdotali ordine, pecuniam ab iis exigere qui ad sacros ordines vel ad vitam monasticam admitti desiderant. Id si fecerit Monasterii Praefecta, a Monasterio extrudatur et alii Monasterio tradatur ad subiectionem, similiter et Monasterii Praefectus, qui presbyteri ordinationem non habet. De bonis autem quae dantur liberis a parentibus instar dotis, vel de rebus propriis oblatis statuit, ut ea monasterio maneant, sive is a quo data sunt permanserit sive abscesserit, nisi ille qui praeest discessionis causa exstiterit.

CANON XX.

Canone vicesimo prohibentur duplicia monasteria simul cohaerentia, hinc Monachorum, inde foeminarum. Tolerantur tamen quae iam exstructa sunt sequentibus conditionibus, ne habitent in uno Monasterio Monachi et Monachae; ne monachus aditum habeat ad monacham neque haec ad illum secreto ad collocutionem; ne cubet Monachus in muliebri Monasterio neque singulariter cum Monacha convivetur. Ut cibaria submissa ad portam recipiat Abbatissa cum vetula moniali: ut si monachus velit colloqui alicui suae propinquae, in praesentia Abbatissae id fiat brevi sermone et mox recedat.

CANON XXI.

Canone vicesimo primo prohibetur ne Monachus aut monialis relicto monasterio proprio, ad aliud proficiscatur. Quod si contigerit, recipi hic quidem hospitio necesse erit, assumi autem sine voluntate Abbatis eius non poterit.

CANON XXII.

Canon vicesimus secundus declarat 1) Laicos utriusque sexus cibum capere simul minime prohiberi, nec eos reprehendendos esse ob id, si meritas interea divinae liberalitati gratias agant, neque inter epulas, cantiones meretricias adhibeant. 2.) Quibus solitaria vita est ac qui Domini iugum se tollere spondent, iis convenire, ut sedeant et taceant. Ad haec Monachos et sacris initiatos homines cum foeminis secreto convivari vetat, nisi forte coram quibusdam Deum timentibus et reverendis viris vel etiam mulieribus: quae regula valet etiam de personis inter se propinquis. Si contigerit vero in itinere Monachum vel sacratum virum non afferre quae victui opportuna sunt, is poterit sive in xenodochium, sive in domum alicuius ex necessitate divertere.

CONCILIUM OECUMENICUM OCTAVUM

CONSTANTINOPOLITANUM IV.

Theophilus Imperator quum principatus sui annum ageret duodecimum, ex hac vita decedens, imperium Michaeli filio sub Theodorae matris tutela reliquit, spectatae religionis ac virtutis foeminae. Haec nihil antiquius habuit, quam ut filium catholica religione imbueret ac sacrarum imaginum cultum instauraret; quod sane feliciter praestitit, pulso Ioanne Pseudo patriarcha Constantinopolitano, eidemque suffecto Methodio viro sanctitate vitae doctrinaque insigni, quem Theophilus Imp. crudeliter flagris caesum, tumuloque inclusum modico pane et aqua sustentatum, per aliquot annos detinuerat. At defuncto Methodio, Theodorae studio Ignatius in eius locum Patriarcha renuntiatus est, vir omnem laudem virtute ac religionis zelo supergressus.

Per undecim annos tanto sub Praeside tranquilla pace quieverat Orientalis Ecclesia, cum Caesar Bardas ipsius Theodorae frater, eam foede turbavit et causa exstitit illius dissidii, quo Orientalis Ecclesia in summum discrimen adducta est. Is siquidem Imperatori suasit, ut matrem suam a rei publicae gubernaculo removeret ac Ignatio praeciperet ut eam tonderet, monasterioque includeret.

Abnuit Ignatius invitam Theodoram velare; exinde a Barda apud Imperatorem tamquam violatae maiestatis reus postulatus, a constantinopolitana sede remotus est atque in Insulam Terebinthum relegatus, surrogato eidem Photio. Erat Photius vir laicus, illustris genere, ingenio ad omnia facile composito tantaque humanarum disciplinarum peritia praestans, ut sui aevi facile princeps haberetur; at eximias hasce naturae et artis dotes, improbitas ac perfidia obscurabant. Is intelligens nullam dignitatis suae auctoritatem futuram, nisi a Romano Pontifice confirmationem obtineret, eidem litteras perferendas curavit, quibus Ignatium senio confectum patriarchatu sponte se abdicasse, se vero quamvis invitum omnium votis ad sedem Constantinopolitanam evectum commentus est. Scripsit etiam ad Pontificem Max. Imperator, misitque pretiosissima munera ad S. Petrum, legationis vero suae praetexuit causam sacrarum imaginum, postulans ut suam auctoritatem interponeret ac pullulantem rursum Iconomachorum errorem evelleret. Nicolaus haud fidens Photii litteris eas in Synodo legit et Constantinopolim legatos misit Rodoaldum Portuensem et Zachariam Anagninum Episcopos, qui de Ignatii et Photii causa praesentes inquirerent, et quae comperissent Apostolicae Sedi renunciarent. Praecepit vero Legatis, ne cum Photio, nisi quasi cum laico communicarent. Scripsit praeterea ad Photium et ad Michaelem Imperatorem, atque in epistola ad Photium eius ordinationem contra Canones factam ratam se habere non posse significat, donec per Legatos certior sit factus de eius fide ac gestis. In epistola autem ad Imperatorem improbat tum exauctorationem Ignatii sine consensu Romani Pontificis factam, tum consecrationem Photii ex ordine laicorum assumpti, in qua violatos ostendit canones sardicenses et decreta RR. PP. Caelestini I. Leonis I. Gelasii et Hadriani I. conculcata; decernit ut coram Apostolicis Legatis et universa Synodo sistatur Ignatius ac inquiratur quam ob causam episcopatu cesserit. Verum Legati Pontificis

Constantinopolim appulsi, Imperatoris minis subacti et Photii muneribus illecti, impertitam sibi potestatem supergressi sunt, Photii ordinationi assenserunt ac synodo interfuere in qua Ignatius, ab exilio revocatus, sacerdotalibus infulis expoliatus est.

Nicolaus audita legatorum suorum praevaricatione et accepto ab Ignatio appellationis libello, synodum Romae habuit, in qua numquam se depositioni Ignatii et Photii promotioni consensisse aut aliquando consensurum contestatus est. Postmodum vero cum de tota serie causae Ignatii ac Photii certior factus esset ab Ignatio adhaerentibus, ineunte anno 863 aliam Synodum Romae celebravit, in qua Photium omni sacerdotali honore et officio deposuit, Ignatium vero restituit. — Excanduit Photius his acceptis nuntiis, sibique non adhaerentes privatione dignitatum, proscriptione bonorum, exilio ac vinculis persequi ac vexare coepit et conciliabulo cui ipse praefuit Imperator collecto, anathema in ipsum Pontificem tulit, quem litteris ad omnes orientis Patriarchas et Episcopos perscriptis variis criminibus per vecordiam calumniose confictis proscidit. Caeterum Deus Ecclesiae vicem miseratus non distulit optatum tot malis finem afferre meritisque poenis in illorum auctores animadvertere. Michael enim Imperator Bardae superbiae pertaesus per Basilium Macedonem eum interemit, qui non multo serius Michaele ipso sublato, summa rerum potitus, Photium e throno deturbavit, Ignatium restituit, atque ut desideratam iamdiu Ecclesiae orientali securitatem tranquillitatemque praestaret, legationem ad Rom. Pontificem destinavit, ut scribit Anastasius in sua ad hanc nostram Synodum praefatione.

Ubi Basilii Legati Romam pervenere, Nicolaus Pontifex decesserat in eiusque locum suffectus fuerat Adrianus II. qui Basilii Imp. et Ignatii litteris acceptis, Synodum in Basilica S. Petri congregavit, in qua supplicatione audita pro Photii damnatione et reconciliatione lapsorum, sententiam tulit quinque capita continentem. Primo Conci-

liabulum a Photio eiusque fautore Michaele Augusto Constantinopoli coactum ephesino comparat latrocinio, impiaque eius acta penitus abolenda decernit. Secundo id ipsum statuit de iis, quae contra S. Ignatium ab eodem Imperatore et Photio scripta actaque fuerant. Tertio Photium rursum anathemate percellit. Quarto lapsos qui tam impio Conciliabulo vel subscripserant vel assenserant, si decreto Nicolai Papae obtemperaverint, ad Ignatii communionem redierint et Conciliabuli commenta flammis tradiderint, in communionem recipit. Basilium vero Imp. cuius nomen in dicti Conciliabuli Actis falso inscriptum cognoverat, alienum prorsus ab omni suspicione mala declarat. Quinto denique omnes qui acta Conciliabuli photiani vel absconderint vel propugnaverint si sint Clerici e gradu deiicit, si autem laici anathemati subiicit.

Post haec Adrianus misit Constantinopolim cum Legatis Basilii Imp. et Ignatii Patriarchae Donatum Ostiensem Episcopum, et Marinum S. R. E. Cardinalem Diaconum, quibus insuper sociavit Stephanum Nepesinum Episcopum, eisque epistolas ad Imperatorem et Patriarcham perferendas tradidit, quibus confirmatis his quae gesta fuerant in expulsione Photii et restitutione Ignatii, eos hortabatur, ut Synodum Oecumenicam cogerent in qua, praesidentibus Apostolicae Sedis Legatis prospiceretur lapsis, qui Photio communicassent atque Ecclesiae Orientalis pax redintegraretur. Dedit etiam eis libellum ab omnibus subscribendum antequam in Synodum admitterentur. Enimvero cum Legati Pontificis Constantinopolim pervenissent congregati sunt 102 Episcopi orientales atque in Ecclesia S. Sophiae inchoatum est Concilium die 5 octobris anno 869 et absolutum pridie kal. martii anni insequentis.

In actione prima lectum est Decretum Epanagnosticon, quo Imperator Concilii Patres hortabatur ut negotia, ad quae dirimenda convenerant, pacifice pertractarent. Lectae sunt etiam Hadriani Pontificis ad Basilium Imperatorem litterae; lectae pariter epistolae quibus Vicarii Antio-

chenae et Hierosolymitanae Ecclesiae suam legationem comprobarunt. Iubentibus deinde legatis Apostolicae Sedis lectus est ac probatus *libellus satisfactionis* cui omnes subscribere obligabantur, qui Photio adhaeserant. In eo dicebatur anathema Photio eique adhaerentibus, donec resipiscerent: confirmabantur quae a romanis synodis tum sub Nicolao, tum sub Hadriano in causa Ignatii decreta fuerant: declarabantur irrita quae Photius sive contra Ignatium, sive contra Nicolaum in suis Conciliabulis tentaverat.

Lecta ad ultimum est definitio a Vicariis Antiochenae et Hierosolymitanae Ecclesiae edita Constantinopoli, antequam in eam urbem pervenissent Apostolicae Sedis legati in qua Nicolai et Hadriani decreta in omnibus articulis amplectebantur.

Actione secunda (die 7 oct.) recitatus est poenitentiae libellus ab Episcopis et Clericis qui aut a S. Methodio, aut ab Ignatio ordinati, ad Photium vel vi vel dolo vel sponte defecerant. Hi accepta a Patribus satisfactoria poena, permissi sunt suorum ordinum officiis fungi.

Actione tertia (die 11 octobr.) Theodorus Metropolita Ancyranus et Nicephorus Archiepiscopus Nicaenus, qui a S. Methodio aut a S. Ignatio ordinati, invasioni photianae adhaeserant, licet indulgentiam postularent, admissi non sunt a Concilio, quod libello satisfactionis subscribere detrectassent. Lectae sunt postea litterae Basilii et Ignatii ad Nicolaum, tum eae quas Hadrianus et ad Basilium et ad Ignatium scripserat.

Actione quarta (die 13 octobr.) auditi sunt Theophilus et Zacharias qui quondam Episcopi a S. Methodio consecrati, postea pro Photio legatione ad Nicolaum perfuncti asseveraverant, Photium a Nicolao Papa fuisse in communionem receptum; sed Nicolai litteris ad Michaelem Imperatorem et ad Photium recitatis de mendacio convicti sunt, quandoquidem in iis ne Episcopi quidem titulus Photio deferebatur, hac solummodo inscriptione praefixa « Nicolaus Episcopus servus servorum Dei prudentissimo viro

Photio. » Cum autem ne audire quidem vellent libellum a Romana Sede transmissum ad Concilium, eodem iubente concilio, eiecti sunt.

Actione quinta (die 20 octobr.) Photius a synodo per laicos citatus adducitur. Quaesitus de sceleribus suis respondit *posui ori meo custodiam:* quod sequitur ipsi legitote, intelligi volens *Cum consisteret peccator adversum me.* Instant legati per obstinatum silentium condemnationem non evasurum: reponit ille, *Neque Iesus tacendo evasit damnationem.* Iussus iterum ut se iustificet, ait, *iustificationes meae non sunt de hoc mundo.* Tandem interrogatus an Romanorum Pontificum Nicolai et Hadriani decreta susciperet, non respondit. Recitatis postea Nicolai ad Photium litteris, contestati sunt orientalium patriarchatuum Vicarii, ecclesias Patriarchales nunquam consensisse in Photii ordinationem. Quibus peractis Photius a Synodo dimissus est.

Actione sexta (die 25 octobr.) interfuit Basilius Imperator. Lectum est scriptum quo legati Sedis Apostolicae Imperatorem rogabant, ut decreta exsecutioni mandarentur. Auditi sunt qui pro Photii ordinatione stabant Episcopi, quaeque ab eis pro Photio prolata sunt argumenta, dissolvit Metrophanes Sirmiensis Episcopus. Imperator ipse photianos illos hortatus est ad poenitentiam: iis datae sunt induciae septem dierum, quibus elapsis nisi resipiscerent, anathemate obstringerentur.

Actione septima (die 29 octobr.) Photius praesens compellatus est num subiiceret se Nicolai et Hadriani decretis, sed renuit; renuit etiam Gregorius Syracusanus et nonnulli alii Episcopi qui a Photii partibus steterant. Lecta sunt iterum quae Romae contra Photium, contra Gregorium atque ei adhaerentes Episcopos sancita fuerant.

Tandem anathema dictum est Photio eiusque asseclis his verbis: *Photio curiali et invasori anathema: Photio saeculari et forensi anathema: Photio neophyto et tyranno anathema sit. Photio schismatico et damnato*

anathema: Photio moecho et parricidae anathema..... Omnibus sequentibus et fautoribus eius anathema: Gregorio dudum Episcopo Syracusano anathema.

Actione octava (die 5 novemb.) Lectus est apologeticus liber pro Petro Monacho, qui in suspicionem venerat oblati contra Nicolaum Papam libelli. Photius convictus est falsi criminis, quippe Episcopi negarunt suas esse subscriptiones quas ipse libro a se contra Nicolaum Papam edito apposuerat. Combusta sunt, Basilii iussu, scripta Photii, atque Conciliabulorum acta, prolatis in falsarios decretis. Lecto Nicolai adversus Iconomachos capitulo, Iconomachis dictum est anathema, et iteratum quod iam in Photium intortum fuerat.

Actione nona (die 12 febr. an. 870) admissus est ad Synodum Michaelis Alexandrini Patriarchae Legatus, a quo rata habita sunt quae octo prioribus actionibus decreta fuerant. Testes quos Photius conduxerat ut Ignatium accusarent, crimen confessi sunt suum, et accepta poenitentia canonica quam arbitrio Ignatii minuere permissum fuit, Photio eiusque sequacibus anathema, iubente synodo, dixerunt.

Actione decima (die 28 febr. 870) Confirmata sunt quae in septem prioribus oecumenicis synodis definita fuerant. A concilio edita est epistola encyclica. Conscripta quoque synodica ad Hadrianum Papam. Editi canones viginti septem ad disciplinam spectantes, quorum summam heic subiicimus.

CANON I.

Canone primo praescribitur ut canones ab apostolicis Conciliis sive generalibus sive localibus editi, ad unguem serventur tamquam secunda eloquia, nec non traditiones non scriptae.

CANON II.

Canon secundus praecipit ea observari quae Nicolaus I. et Hadrianus II. in causa Ignatii adversus Photium *synodice* statuerant; idque sub poena depositionis in clericis, excommunicationis in monachis et laicis.

CANON III.

Canone tertio decernitur sacram imaginem D. N. Iesu Christi adorandam similiter et imaginem intemeratae Matris eius et icones sanctorum, angelorum, aliorumque sanctorum venerandas esse.

CANON IV.

Canone quarto declaratur Photium numquam fuisse Episcopum, eius ordinationes esse nullas et consecrationes Ecclesiarum, Altarium, quas ipse et ab eo ordinati peregerunt, esse iterandas.

CANON V.

Canone quinto decernitur ut nullus Senator aut generatim laicus, qui primam tonsuram, spe consequendi Episcopatum vel Patriarchatum susceperit et ita clericus vel monachus factus est, ad eamdem dignitatem ambitam promoveatur, sed expectabitur ut tempus probationis sufficientis in omnibus gradibus et functionibus ecclesiasticis fluxerit. Eiusmodi vero promotiones si Imperatoris nomine factae fuerint, interdicuntur. Si nulla huiusmodi suspicio exstiterit, edicitur consecrari quidem posse aut Patriarcham aut Episcopum, modo tamen in gradu lectoris per unum annum permanserit, in subdiaconatu duos annos exegerit, in diaconatu tres et in presbyteratu quatuor. Episcopis facultas con-

ceditur praestitutum tempus contrahendi, non quidem Curialium respectu, sed eorum dumtaxat, qui in clericatu aut monachatu religiose vixerint.

CANON VI.

Canon sextus denuo anathematizat quos Photius vicarios orientalium Patriarcharum constituit et illos qui eidem Photio auxilium praestitere et mendacia scripta contra Nicolaum P. M. ediderunt.

CANON VII.

Canon septimus vetat ne ab hac synodo anathematizati, admittantur aut ad pingendas in templis imagines, aut ad scientias edocendas, idque sub poena interdicti in Clericis et separationis in laicis.

CANON VIII.

Canon octavus cavet ne Episcopi extorqueant, more Photii, ab ordinandis et ab Episcopis sub eorum iurisdictione constitutis, subscriptiones, quibus fidem obstringunt suam ad eorum tutelam, favorem et stabilitatem, sola professione fidei, quam Episcopi in sua ordinatione praestant, excepta.

CANON IX.

Canon nonus decernit, ut extorta per Photium huiusmodi chirographa nullius roboris censeantur.

CANON X.

Canon decimus prohibet ne quis, ante latam sententiam synodalem, a communione proprii Patriarchae aut Episcopi separetur, licet criminis reus noscatur.

CANON XI.

Canone undecimo damnantur ii qui in homine duas animas rationales admiserint.

CANON XII.

Canone duodecimo deponuntur qui, fraude vel favore Principum, episcopatum obtinuerint.

CANON XIII.

Canone decimo tertio sancitur ad Ecclesiae Constantinopolitanae dignitates promovendos esse clericos eiusdem Ecclesiae, non vero extraneos (scilicet laicos ut Photius). Administratores vero bonorum et domus principum, inter clericos magnae Ecclesiae cooptandos non esse.

CANON XIV.

Canon decimus quartus praescribit, ne Episcopi dignitatem suam indebitis obsequiis erga Principes prostituant. Nimirum ne obviam eis prodeant procul ab ecclesiis suis: ne se dimittant ab equis vel mulis, vel humi procumbant vel eos adorent: ne intrent ad principes hora prandii, ubi indebita persolvant obsequia; sed venerationem, qua digni sunt, eis exhibeant, quae spiritualem tamen dignitatem non deprimat minuatque auctoritatem eos arguendi et emendandi, si opus sit.

CANON XV.

Canon decimus quintus vetat alienare cimelia ecclesiae, possessiones vendere, vel in emphyteusim collocare nisi pro redimendis captivis.

CANON XVI.

Canon decimus sextus decernit ut qui sub Imperatore Michaele, ludibrii causa Ecclesiae caeremonias peregerint, episcoporum vestimenta gestaverint et nondum crimen confessi fuerint ac poenitentiam egerint, excommunicentur per tres annos. Ipsi primo anno in gradu flentium, altero catechumenorum, tertio consistentium perstabunt. Si in posterum Imperator aut princeps aliquis illas repraesentationes instaurare voluerit, Patriarcha et Episcopi apud ipsum constituti, eum arguere et a mysteriis excludere debent et si poenitentiam non egerit, anathematizabitur. Quod si Patriarcha et Episcopi hac in re zelum non ostendent, deponentur.

CANON XVII.

Canon decimus septimus declarat ius Patriarcharum convocandi omnes Metropolitanos ad synodum patriarchalem; repellit quorumdam Metropolitanorum inane suffugium qui vocati non accedebant, praetexta causa quod a saeculi Principibus detinebantur, vel Concilium Provinciale celebrabant; execraturque omnes qui dicere ausi fuerint non posse convocari Synodos, si non interfuerit Princeps.

CANON XVIII.

Canone decimo octavo statuitur ut privilegia et bona Ecclesiarum per 30 annos tranquille possessa, firma maneant.

CANON XIX.

Canone decimo nono praecipitur ut Metropolitanus non relinquat propriam Ecclesiam sub praetextu visitandi Ecclesias suffraganeorum qui ipsi subduntur et ne ipsis pecuniaria onera imponat.

CANON XX.

Canone vicesimo vetatur bona Ecclesiae in emphyteusim iam concessa repetere, praetexta causa non soluti annui Canonis: excepto casu, quo tribus continentibus annis non fuerit solutus, idque ordine iudiciali coram competente iudice fieri iubetur.

CANON XXI.

Canone vicesimo primo decernitur ne Principes modo indecoro aliquem ex quinque Patriarchis tractent, neve eos e sedibus suis moliantur expellere, sed eis iustum honorem exhibeant. Iubetur ne quis contra Papam senioris Romae conscribat, quamcumque accusationem obtendens: si autem querela aliqua in generali Synodo contra Rom. Ecclesiam deferatur, ea cum reverentia debita et examinanda et iudicanda edicitur, non tamen audacter sententia ferenda contra Romae Pontifices.

CANON XXII.

Canone vicesimo secundo statuitur Episcoporum promotionem fieri debere vi electionis ac ex Decreto Collegii Episcopórum, non vero ex imperio et auctoritate Principis: ab electione autem excluduntur laici potentes sub anathematis poena, nisi ab Ecclesia invitati. Excommunicantur vero si electioni canonicae se opponant.

CANON XXIII.

Canon vicesimus tertius vetat Episcopos alienare, invadere, conferre aut locare Ecclesiae alienae bona et Clericos in Ecclesiis aliarum Dioecesium constituere absque voluntate Episcoporum, quibus subiectae sunt. Vetat de-

nique presbyteris et diaconis, ne sacris operentur in Ecclesiis pro quibus ordinati non sunt.

CANON XXIV.

Canone vicesimo quarto statuitur ne Metropolitae accersant ad se Suffraganeos, quibus Ecclesiae suae divina officia explenda committant, ut ipsi aliis negotiis vacent.

CANON XXV.

Canon vicesimus quintus declarat depositos Episcopos consecratos a Methodio vel Ignatio, qui pertinaciter Photio adhaerebant ac Synodo se submittere detrectabant, iisque ad clerum praecluditur aditus, licet resipiscant. Quod si convertantur, poterunt sacra mysteria recipere in gradu laicorum.

CANON XXVI.

Canon vicesimus sextus decernit presbyterum aut Diaconum si deponantur a proprio Episcopo, posse ad Metropolitam appellare, qui in provinciali Synodo causam iudicabit: posse pariter Episcopum a sententia Metropolitani ad Patriarcham appellare, quo in casu Patriarcha iudicabit causam cum aliis Metropolitanis sibi subditis.

CANON XXVII.

Canon vicesimus septimus decernit ne Episcopi pallio utantur extra tempora et loca a sacris Canonibus statuta; iubet praeterea Monachos ad Episcopatum promotos, monasticam vitam et vestem retinere.

His statutis, facta commemoratione septem Oecumenicorum Conciliorum eorumque confirmatione adiecta, Manichaeorum et Iconomachorum, quae adhuc alibi vigebant, damnatis haeresibus, repetitaque sententia contra Photium prolata, Synodus omnium consensu feliciter absoluta est. Et cum Basilius Imperator binas ad Episcopos et laicos orationes recitasset, primo omnium Sedium Patriarchalium legati subscripserunt, subinde vero, Augusti Imperatoris iussu, ante alios Episcopos, Legati Romanae Sedis subscriptionem suam synodalibus actis apposuerunt.

CONCILIUM OECUMENICUM NONUM

LATERANENSE I.

A Caroli Magni et Ludovici Pii obitu, potissimum vero postquam demortuus fuit Ludovicus infans, quicum Carolingia stirps Teutonica defecit, initium ducit ius feudale, quo effectum est, ut qui antea Praesides provinciarum imperatoris nomine eas administrabant, illas paullatim iure quodam haereditario consequerentur, agnito tamen supremo ac directo Imperantis dominio, cui fidelitatis sacramentum atque alia quaedam in aula et militia obsequia exhibere tenebantur. Iamvero Episcopi praesertim Germaniae sub Carolina stirpe, saecularium etiam negotiorum administratione distenti, cum viderent Proceres regni sibi iam veluti propria vindicare, quae alieno prius nomine administrabant, eorum sequuti exemplum, episcopales urbes cum terris iisdem addictis, feudali iure ab Imperatore accipere consueverunt per traditionem annuli et baculi.

Exinde Ecclesiae libertas opum accessione oppressa, Episcopales sedes ac Abbatiae venales effectae, indigni plus pretii offerentes ad Ecclesiae dignitates identidem promoti, ac simoniae labes longe lateque diffusa.

Oppressionem hanc canonicarum electionum ex pravo investiturarum usu ortam, iampridem Gregorius VII. in frequentibus Synodis Romae habitis damnaverat idemque

RR. PP. Victor III. et Paschalis II. praestiterant, at irrito sane conatu, donec Callixtus II. pactis Vormatiae initis cum Henrico V. rem tandem composuit. Ut vero conditiones pacis sancte servarentur et statuta concordia consisteret, oecumenicum Lateranense Concilium convocatum est. Convenere Episcopi, plus quam trecenti, Abbates 600 ac praesidente ipso Pontifice, inchoatum est mense martio anni 1123.

Ex Actis huius Concilii nihil ad nos pervenit, praeter Canones, qui disciplinae leges in anteactis maxime Conciliis latas, nova sanctione confirmant. Ex ipso tamen Henrici instrumento comperimus, Imperatorem dimisisse Ecclesiae Catholicae omnem investituram per annulum et baculum, consensisse ut in omnibus Ecclesiis electio et consecratio Episcoporum libere fieret ac possessiones et regalia S. Petri iam per ipsum aut patrem ejus atque utriusque ministros et fautores ablata, eidem romanae Ecclesiae restituisse.

Ex instrumento vero concessionis a Callixto vicissim factae novimus, Romanum Pontificem eidem Imperatori Henrico et successoribus eius indulsisse, ut electiones Episcoporum et Abbatum Teutonici Regni, quae ad regnum germanicum pertinerent, in sua praesentia fierent; siqua vero inter partes discordia oriretur, Metropolitani et Provincialium Episcoporum concilio dirimeretur.

Indulsit praeterea Pontifex, ut electus regalia per sceptrum ab ipso Imperatore reciperet, exceptis omnibus quae ad romanam ecclesiam pertinerent. Pax ita constituta, sequiori aetate praesertim sub Friderico I. et II. Imperat. interrupta est, donec tandem sub Imperatoribus Austriae concordia restituta est, iacta a Rodulpho basi, et a Friderico III. concordatis initis. Canones editi sunt sequentes.

CANON I.

Primus Canon prohibet ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri, si quis vero ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, adquisita dignitate privatur.

CANON II.

Secundus Canon statuit ut nullus in Praepositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum nisi presbyter, nullus in Archidiaconum nisi Diaconus ordinetur.

CANON III.

Tertius Canon presbyteris, diaconis, subdiaconis prohibet concubinarum et uxorum contubernia et aliarum mulierum cohabitationem, praeter eas quas Synodus Nicaena propter solas necessitudinum causas habitare permisit, videlicet matrem, sororem, amitam vel materteram aut alias huiusmodi, de quibus nulla valeat iusta suspicio oriri.

CANON IV.

Quartus Canon statuit ut laici quamvis religiosi sint, nullam de ecclesiasticis rebus disponendi habeant facultatem, sed omnium bonorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset. Siquis ergo principum aut laicorum aliorum, dispensationem vel donationem rerum sive possessionum ecclesiasticorum sibi vindicaverit, ut sacrilegus iudicatur.

CANON V.

Quintus Canon edicit ne fiant coniunctiones consanguineorum, quoniam eas et divinae et saeculi leges prohibent.

CANON VI.

Sextus Canon irritas declarat ordinationes a Burdino pseudo-Pontifice postquam a Romana Ecclesia est damnatus factas et quas pseudo-episcopi, per eum postea ordinati, effecerunt.

CANON VII.

Septimus Canon statuit ut nullus omnino Archidiaconus aut Archipresbyter, aut Praepositus vel Decanus animarum curas vel praebendas Ecclesiae sine iudicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat, sed cura et rerum ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio et potestate permaneat. Si quis vero contra haec facere, aut potestatem ad Episcopum pertinentem sibi vindicare praesumpserit, ab Ecclesiae liminibus arcetur.

CANON VIII.

Canone octavo sub anathemate interdicitur, ne aliquis Beneventanam B. Petri civitatem praesumat invadere aut violenter retinere.

CANON IX.

Canone nono a suis Episcopis excommunicatos, ab aliis Episcopis, Abbatibus et Clericis in communionem recipi prohibetur.

CANON X.

Decimus Canon statuit ut nullus Episcopo consecrando qui non fuerit canonice electus operam praestet quod si praesumpserit et consecratus et consecrator absque recuperationis spe deponatur.

CANON XI.

Undecimus Canon peccatorum remissionem iis concedit, qui hierosolymitanum aut hispanicum iter defendendae Ecclesiae causa susceperint et domos et familias atque omnia bona eorum in B. Petri et romanae Ecclesiae tutelam suscipit, excommunicatis iis qui ea distrahere vel auferre, quamdiu illi in via illa morantur, praesumpserint. Interdicit Ecclesiae introitu eos, qui assumpta in vestibus cruce, illud iter suscipere detrectaverint et in eorum terris divina officia, praeter infantium baptisma et morientium poenitentiam, interdicit.

CANON XII.

Duodecimus Canon vetat ne porticanorum sine liberis decedentium bona pervadantur.

CANON XIII.

Canon decimus tertius *treguae* infractores post tertiam monitionem Episcopi, ni satisfaciant, anathemati subiicit.

CANON XIV.

Decimus quartus Canon vetat a laicis auferri oblationes de sacratissimo altari B. Petri et Salvatoris, S. Mariae

Rotundae ac de aliis omnium Ecclesiarum altaribus sive crucibus ac sub anathemate firmatur. Ecclesias a laicis incastellari (i. e. ad usum Castelli redigere) aut in servitutem redigi prohibetur.

CANON XV.

Decimus quintus Canon statuit ut quicumque monetam falsam scienter fecerit, aut studiose expenderit tamquam maledictus et pauperum oppressor a consortio fidelium separetur.

CANON XVI.

Decimus sextus edicit ut siquis Romipetas (i. e. qui Romam petunt) et peregrinos, Apostolorum limina et aliorum sanctorum oratoria invisentes, capere seu rebus quas ferunt spoliare, et novis teloneorum seu pedaticorum exactionibus molestare tentaverit, donec satisfecerit, communione abstineat christiana.

CANON XVII.

Decimus septimus Canon interdicit Abbatibus et Monachis publicas poenitentias dare et infirmos visitare, et unctiones facere et missas publicas cantare. Chrisma et Oleum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum, ab Episcopis accipiant in quorum parochiis manent.

CANON XVIII.

Decimus octavus Canon decernit ut in parochialibus Ecclesiis presbyteri per Episcopos constituantur, qui eis respondeant de animarum cura et de iis quae ad Episcopum pertinent. Decimae et ecclesiae a laicis prohibentur suscipi, absque consensu et voluntate Episcoporum.

CANON XIX.

Decimus nonus Canon concedit ut servitium quod monasteria aut eorum Ecclesiae a tempore Gregorii Papae VII usque ad Concilii tempus Episcopis fecere continuetur. Possessiones Ecclesiarum et Episcoporum tricennales Abbates vel Monachos habere omnimode prohibetur.

CANON XX.

Vicesimus Canon statuit, Ecclesias cum bonis suis tam personis quam possessionibus, clericos videlicet ac Monachos, eorumque conversos, aratores, cum suis rebus quas ferunt tutos et sine molestia esse. Qui contra hoc fecerint et post 30 dierum spatium competenter non resipuerint a liminibus Ecclesiae arceantur et anathemati subiiciuntur.

CANON XXI.

Canon vicesimus primus Presbyteris Diaconibus, Subdiaconibus et Monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicit, contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi et personas ad poenitentiam debere redigi constituit.

CANON XXII.

Vicesimus secundus Canon damnat alienationes quae specialiter per Ottonem, Guidonem, Hieremiam seu forte Philippum in Ravennate Exarchatu et alibi non legitime factae fuerint, generaliter autem omnium per intrusionem, seu canonice electorum sub Episcopi nomine, aut Abbatis qui secundum usum ecclesiae suae consecrandus est, alienationes quocumque modo factas nec non personarum ordinationes ab iisdem sine communi consensu cle-

ricorum Ecclesiae, sive per simoniam ibidem factas irritas esse. Statuit praeterea ut nullus clericus praebendam suam, seu ecclesiasticum beneficium, aliquo modo alienare praesumat, quod si praesumpserit irritum erit et canonicae ultioni subiacebit.

Sequitur Canon a Martene editus qui cum nihil aliud sit nisi summa Can. 17, 18, et 19, non aliis eum addidimus. « Sanctorum etiam patrum vestigiis inhaerentes, generali decreto sancimus, ut monachi propriis Episcopis cum omni humilitate subiecti existant, et eis ut Magistris et Ecclesiae Dei Pastoribus debitam obedientiam et devotam in omnibus subiectionem exhibeant, publicas missarum solemnitates nusquam celebrent, a publicis etiam infirmorum visitationibus inunctionibus, seu etiam poenitentiis quod ad illorum nullatenus officium pertinet, sese omnino abstineant. In Ecclesiis vero quibus ministrare noscuntur presbyter nonnisi per manum sui Episcopi habeant qui ei de suscepta animarum cura respondeant. »

CONCILIUM OECUMENICUM DECIMUM

LATERANENSE II.

Cum Innocentius II a maiori Cardinalium numero Pontifex Max. fuisset electus, eorum pars minor elegit Petrum Leonis, qui nomen Anacleti sibi adscivit.

Hic, urbe per vim occupata, Innocentium legitimum Pontificem in exilium eiecit, qui tamen ab omnibus Principibus (excepto Rogerio Siciliae duce) agnitus, studio, industria atque eloquentia S. Bernardi, a Lothario piissimo Imperatore cum exercitu Italiam ingresso suae sedi restitutus est. At, Petro Leonis mortuo, schismatici alium quemdam, adscititio Victoris nomine, obtrudere conabantur, qui tamen a S. Bernardo inductus est ut Innocentio Pontifici se subiiceret.

Ceterum praeter modo memoratos pseudo pontifices tunc temporis Ecclesiae pacem turbabant etiam haeretici, Petrus de Bruis eiusque discipulus Arnaldus Brixiensis. His malis ut efficax remedium afferret Innocentius II e re christiana esse duxit Synodum indicere, quae in Ecclesia Lateranensi congregata est die 4 aprilis an. 1139 amplius mille Praelatis, Arciepiscopis, Patriarchis, Episcopis aliisque ecclesiasticis viris adstantibus.

Actionum numerum ac materiam nulla monumenta produnt. Sublatum tamen comperimus in eodem Concilio

schisma; Petri Leonis iam vita functi acta rescissa, et ipsi eiusque fautoribus dictum anathema. Anathemati subiectus est etiam Siciliae dux Rogerius. Damnati sunt Petrus de Bruis et Arnaldus. Theobaldus vero novus Archiepiscopus cantuariensis pallium recepit. Canones denique triginta confirmati, quibus ecclesiasticae disciplinae consultum est.

CANON I.

Primo Canone statuitur ut siquis simoniace ordinatus fuerit, ab officio cadat quod illicite usurpavit.

CANON II.

Secundo Canone praescribitur ut siquis praebendam, vel Prioratum, seu Decanatum, aut honorem vel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet Sacramentum ecclesiasticum, uti chrisma vel oleum sanctum, consecrationes altarium vel ecclesiarum, interveniente execrabili ardore avaritiae per pecuniam adquisivit, honore male adquisito careat et emptori, venditori ac interventori nota infamiae inuratur. Et nec pro pastu nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare praesumat, quoniam simoniacum est, sed libere et absque imminutione aliqua collata sibi dignitate atque beneficio quisque perfruatur.

CANON III.

Tertio Canone prohibetur ne a proprio Episcopo excommunicati suscipiantur ab aliis. Siquis vero excommunicato, antequam hic ab eo qui eum excommunicavit absolvatur, scienter communicare praesumpserit, pari sententiae declaratur obnoxius.

CANON IV.

Quarto Canone praecipitur ut Episcopi ac Clerici in statu mentis, in habitu corporis, Deo et hominibus placere studeant, et nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, nec in tonsura, intuentium oculos offendant. Qui vero moniti ab Episcopis noluerint se emendare, ecclesiasticis beneficiis priventur.

CANON V.

Quintus Canon praecipit observari Decretum Concilii Chalcedonensis, videlicet, ut morientium bona Episcoporum non diripiantur, sed ad opus Ecclesiae et successoris sui in libera oeconomi et clericorum permaneant potestate. Si quis hunc canonem transgredi praesumpserit, excommunicatione multatur; qui vero morientium presbyterorum vel Clericorum bona rapuerint, eadem poena puniuntur.

CANON VI.

Sexto Canone decernitur, ut qui in ordine subdiaconatus et supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio ac beneficio ecclesiastico priventur.

CANON VII.

Septimo Canone praecipitur ut nullus missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Episcopi vero, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, et Monachi atque Conversi professi, qui uxores sibi copulare praesumpserint, separentur, ac pro tantis excessibus condignam poenitentiam agant.

CANON VIII.

Id ipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si nubere attentaverint, servandum decernitur.

CANON IX.

Canone nono damnantur Monachi et Canonici Regulares, qui aut leges temporales aut artem medicinae, temporalis lucri gratia, addiscunt, et patronos causarum agunt. Siqui vero Episcopi, Abbates et Priores id permiserint, propriis honoribus expoliantur et ab Ecclesiae liminibus arcentur.

Canon iste omnes omnino tum Monachos tum Clericos complectitur, non damnat tamen eos, qui fori leges aut medicinam discunt ut solvant conscientiae casus, vel caritatem in proximum exerceant, idque videntur innuere verba illa « gratia lucri temporalis. »

Quoad exercitium artis medicae requiritur apostolicum indultum, quod duplici sub conditione concedi solet 1) ut adsit iusta causa, cuiusmodi est ut prospiciatur necessitati populi, vel ut via sternatur fidei propagandae inter infideles, vel si de Clerico saeculari agatur, clerici eiusdem eiusve familiae egestas. 2) ut absque incisione vel adustione fiat. (Cf. Bened. XIV. *De Synodo.* L. XIII.).

CANON X.

Decimo Canone decimas Ecclesiarum a laicis possideri prohibetur, quas nisi Ecclesiae reddiderint, sacrilegii crimen eos committere, et periculum aeternae damnationis incurrere, declaratur. Praecipitur etiam ut laici, qui Ecclesias occupant, nisi eas Episcopis restituant, excommunicationi subiaceant.

Insuper mandatur ut nemo ordinetur Archidiaconus vel Decanus, nisi fuerit diaconus vel presbyter: Archidiaconi vero, Decani, vel Praepositi, qui infra ordines praenominatos exsistunt, si in obedientes ordinari contem-

pserint, honore suscepto priventur. Denique prohibetur ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia et merito vitae clarescunt, praedicti concedantur honores. Praecipitur etiam ne conductitiis Presbyteris Ecclesiae committantur, et ut unaquaeque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem.

Pars prior huius Canonis ex Romana V. Synodo S. Gregorii VII. an. MLXXVIII exscripta est; reliquae autem tres partes ex Synodo Remensi, quam Innocentius II. an. MCXXXI. celebraverat.

Quoad primam partem notandum est, antiquum fuisse abusum ut decimae militibus darentur in beneficium eiusque abusus auctor circa initium saeculi VIII. exstitit Carolus Martellus.

Quoad ultimam partem animadvertendum est, non semel contigisse, ut Monachi non modo, sed etiam Episcopi, parochiales ecclesias conductitiis presbyteris administrandas committerent proventusque ipsi omnes percipientes, modicam illis relinquerent summam, qua sustentari possent. Id late ostendit Thomassinus P. 1. *Disciplinae* L. 11. C. 27.

CANON XI.

Undecimo Canone praecipitur ut presbyteri, clerici, monachi, peregrini, mercatores et rustici euntes et redeuntes et in agricultura persistentes et animalia cum quibus aratur et semina deferunt ad agrum, et oves, omni tempore securi sint.

CANON XII.

Duodecimo Canone praecipitur induciarum (*treguae* appellantur) tempus ab occasu solis in quarta feria usque ad ortum solis in secunda feria, et ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniae, et a Quinquagesima usque ad octavam Paschae, ab omnibus observari. Si quis autem inducias frangere tentaverit, post tertiam commonitionem si non satisfecerit, episcopus eius excommunicationis sententiam in eum dicat et scriptam episcopis vicinis annuntiet. Episcoporum autem nemo excommunicatum in communio-

nem recipiat, imo scripto susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare praesumpserit, ordinis sui periculo subiacebit. Praecipitur denique ut Episcopi ad solum Deum et salutem populi habentes respectum, omni tepiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium et auxilium praebeant.

Treguarum nomine intelliguntur induciae a privatis bellis et iniuriis depraedationibus.

CANON XIII.

Tertius decimus Canon damnat usuram, in veteri quippe atque in novo foedere reprobatam, iubet usurarios recipi non debere, nisi summa cautela adhibita, eosdemque, nisi resipuerint, christiana sepultura privandos.

CANON XIV.

Quartus decimus Canon interdicit nundinas vel ferias, in quibus milites ex condicto convenire solent, et ad virium audaciaeque ostentationem temere congrediuntur, unde corpora et animae in discrimen vocantur; quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti, poenitentia et viaticum non denegetur, ecclesiastica tamen sepultura eum esse privandum, decernitur.

CANON XV.

Quintus decimus Canon excommunicat eum, qui suadente diabulo, violentas manus in Clericum aut Monachum iniecerit et statuit ut nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec reus apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat. Praecipitur insuper ut in eos, qui ad Ecclesiam vel caemeterium confugerint, nullus manum iniicere audeat, quod si quis fecerit, excommunicatur.

Ex hoc Canone eruitur, iam tum morem fuisse reservandi casus Summo Pontifici.

CANON XVI.

Sextus decimus Canon prohibet, ne quis Ecclesias, praebendas, praeposituras, cappellanias aut alia ecclesiastica officia, hereditario iure vindicare valeat aut expostulare praesumat, quod si quis improbus aut ambitionis reus attentare praesumpserit, debita poena multabitur et postulatis carebit.

CANON XVII.

Septimo decimo Canone coniunctiones consanguineorum omnino prohibentur.

CANON XVIII.

Octavus decimus Canon incendiarios eisque consilium aut auxilium scienter dantes excommunicat, ecclesiastica sepultura incendiarios privat, et absolvi vetat, nisi prius damna omnia pro facultate reparaverint, et iureiurando interposito promiserint, se numquam posthac tale crimen patraturos. Poenitentiam illis iniungi, iubetur, ut Hierosolymis, aut in Hispania per annum integrum in Dei servitio permaneant.

CANON XIX.

Canone undevicesimo edicitur quod si quis Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum ipse reparet uniusque anni spatio ab officio episcopali abstineat.

CANON XX.

Vicesimus Canon Regibus et Principibus facultatem faciendae iustitiae, consultis Archiepiscopis et Episcopis, non negat.

CANON XXI.

Vicesimus primus Canon filios presbyterorum declarat irregulares, nisi in coenobiis aut in aedibus canonicis religiose fuerint conversati.

CANON XXII.

Vicesimo secundo Canone admonentur Episcopi et Presbyteri ne falsis poenitentiis animas laicorum decipi et in infernum pertrahi patiantur. Falsa vero poenitentia dicitur, cum pro uno peccato tantum fit satisfactio non pro omnibus, aut cum quis ita agit de uno poenitentiam ut non recedat ab altero, aut cum poenitens non recedit ab officio mercatorio vel curiali quod agi sine peccato nequit, aut cum odium in corde servatur, aut cum offensus offendenti non indulget, aut cum offendens non satisfacit offenso, aut cum arma quis contra iustitiam gerat.

CANON XXIII.

Vicesimus tertius Canon habet uti haereticos eos, qui Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, Baptisma puerorum, Sacerdotium et ceteros ecclesiasticos Ordines et legitimarum foedera nuptiarum damnant. Defensores quoque ipsorum eiusdem damnationis vinculo innodat.

Damnantur hoc Canone Petrus de Bruis et Arnaldus Brixiensis eius sectator, qui magistri sui errores instauravit propagavitque. Verum cum Canon hic idem sit ac Canon III. Concilii Tolosani, quod anno MCXIX Callixtus II. celebravit adversus Petrobusianos, clare apparet, eosdem iterum in hoc Concilio Lateranensi II. proscriptos fuisse cum Arnaldistis.

CANON XXIV.

Vicesimus quartus Canon prohibet pro chrismate, oleo sacro et sepultura pretium exigi.

CANON XXV.

Vicesimus quintus Canon mandat ut si quis praepositturas, praebendas, vel alia ecclesiastica beneficia de manu laici acceperit, illis privetur.

CANON XXVI.

Vicesimus sextus Canon perniciosam et detestabilem consuetudinem quarumdam mulierum abolet atque anathematizat, quae licet secundum regulam Benedicti, aut Basilii, aut Augustini non vivant, sanctimoniales tamen vulgo censeri desiderant, ac sibi privata domicilia constituunt, in quibus, hospitalitatis praetextu, viros contra Canones et bonos mores, suscipere non erubescunt.

CANON XXVII.

Vicesimus septimus Canon prohibet, ne sanctimoniales simul cum Canonicis vel Monachis in eodem choro conveniant ad psallendum.

CANON XXVIII.

Vicesimo octavo Canone cautum est, ut obeuntibus Episcopis, quoniam ultra tres menses vacare Ecclesiae prohibentur, Canonici ab electione Episcoporum non excludant religiosos viros: sed eorum consilio honesta et idonea persona Episcopus eligatur. Quod si, exclusis eisdem viris religiosis, electio fuerit celebrata, irritum habeatur et vacuum quod absque eorum assensu et convenientia factum fuerit.

CANON XXIX.

Vicesimus nonus Canon sub anathematis poena prohibet ballistariorum et sagittariorum adversus christianos et catholicos artes exerceri.

Ballistarii homines erant qui conducti ad privata certamina ballistis, aut sagittis utebantur.

CANON XXX.

Trigesimus Canon irritas esse declarat ordinationes factas tum a Petro Leonis, tum ab aliis schismaticis, et haereticis.

CONCILIUM OECUMENICUM UNDECIMUM

LATERANENSE III.

Vita functo Adriano IV Pontifice Maximo, Alexander III successor electus est, atque ab Hispania, Gallia, Anglia et Oriente pro legitimo Pontifice habitus. Tres tamen Cardinales, Octavianum, Victoris V nomine distinctum, eidem opposuerunt. Huic Fridericus I cum plerisque germanis favebat, Italis ancipiti contentione in alterutrum distractis. Perstitit schisma, suffectis identidem Antipapis Guidone Cremensi sub Paschalis III, Joanne Abb. Strumiensi sub Callisti III, et Landino sub Innocentii III nomine, ab anno 1159 usque ad annum 1177, quo demum Imperator cum Pontifice in pacem et gratiam rediit. Schismatis turbas auxit haeresis Waldensium et Albigensium, quorum primi a Petro Waldo lugdunensi exorti, initio quidem quoddam monasticae vitae genus affectaverant, at subinde ab Apostolica Sede reprobati, iugum omne excusserant atque in omne vitiorum genus errorumque fuerant prolapsi. Albigenses porro Manichaeorum haeresi novos errores addiderant, quos longe lateque serebant.

His ut occurreret malis, itemque ut pax inita cum Friderico firmior subsisteret, ac futurorum etiam Pontificum electioni consuleret, Alexander III Concilium Lateranense indixit eique praesedit. Frequentatum fuit ab Episcopis fere trecentis praeter Abbates aliosque viros in dignitate constitutos. Patriarchae Hierosolymitani personam gessit Petrus

Prior S. Sepulchri. Aderat etiam Guillelmus Tyrii Archiep. celeber sacrarum expeditionum historicus, Albertus Ep. Bethlehemensis, Heraclius Ep. Caesareensis. Coeptum est in quadragesima anni 1179 ac tribus Sessionibus absolutum.

Deficientibus documentis, incompertum est quaenam causae agitatae in eo fuerint. Constat tamen damnatos fuisse Albigenses et Waldenses. Decreta ad restituendam ecclesiasticam disciplinam, ac potissimum ad extirpandam labem simoniacam viginti septem condita sunt in ultima Sessione, quorum summa haec est:

CANON I.

Primus Canon decernit, Summi Pontificis electionem non fore deinceps canonicam, nisi duae tertiae partes Cardinalium in eius electionem conspirent. Si quis autem de tertiae partis nominatione confisus, quia rem non potest, sibi nomen Episcopi usurpaverit, ipse, cum iis qui eum receperint, excommunicationi subiicitur, et totius Sacri Ordinis privatione multatur, quin imo nec eucharistiae participationem accipiet, nisi tantum ad extremum vitae. Praeterea si a paucioribus quam a duabus tertiis partibus aliquis fuerit electus ad Apostolatus officium, nisi maior concordia intercesserit, nullatenus assumatur et praedictae poenae subiaceat, nisi humiliter voluerit abstinere.

CANON II.

Secundus Canon irritas esse declarat ordinationes, quae ab Octaviano et Guidone haeresiarchis et a Joanne Strumensi et ab ordinatis ab eis factae fuerant. Adiicit porro ut si qui dignitates ecclesiasticas seu beneficia per praedictos schismaticos receperint, careant impetratis. Alienationes quoque, seu invasiones, quae per eosdem schismaticos, sive per laicos, factae sunt, rerum ecclesiastica-

rum, omni destituuntur firmitate et statuitur ut ad Ecclesiam sine quovis eius onere revertantur. Si quis autem contraire praesumpserit, excommunicationi subiicitur. Illos denique, qui sponte iuramentum de tenendo schismate praestiterint, a sacris ordinibus et dignitatibus decernitur manere suspensos.

CANON III.

Tertius Canon vetat ne quis ante trigesimum aetatis annum et de legitimo matrimonio natus, qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur, Episcopus eligatur. Cum autem electus fuerit et confirmationem electionis acceperit et ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit, elapso tempore per Canones definito de consecrandis Episcopis, is ad quem spectant, beneficia quae habuerat disponendi de illis liberam habeat facultatem. Praecipit insuper ut inferiora etiam ministeria utpote Decanatus, Archidiaconatus et alia quae animarum curam habent adnexam, nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialium Ecclesiarum regimen, nisi qui vicesimum quintum aetatis annum attigerit et qui scientia et moribus existat commendatus. Cum autem assumptus fuerit, si Archidiaconus in Diaconum et Decani et reliqui admoniti, non fuerint praefixo a Canonibus tempore in presbyteros ordinati, et ab illo removeantur officio et alii conferatur, qui et velit et possit convenienter illud adimplere, nec prosit illis appellationis diffugium. Hoc sane non solum de promovendis, sed de iis etiam qui iam promoti sunt, praecipitur observandum. Quod si clerici contra formam istam quemquam elegerint, et eligendi potestate privantur et ab ecclesiasticis beneficiis triennio suspenduntur. Rursus si Episcopus, contra Canonis praescripta, beneficia ecclesiastica ei conferat cui conditiones requisitae desint, conferendi potestate multatur et collatio devolvitur ad Capitulum, vel ipso dissentiente, ad Metropolitanum.

CANON IV.

Quartus Canon dolet primum quammaxime Episcopos in visitandis Parochiis eos facere sumptus, quibus impares Parochi sunt: iis vero modum imponens, iubet, ne Archiepiscopi visitantes pro diversitate Provinciarum et facultatibus Ecclesiarum, plusquam quadraginta vel quinquaginta iumenta (evectiones) habeant, Cardinales vero ne plusquam viginti quinque, Episcopi ne plusquam viginti vel triginta, Archidiaconi ne plusquam quinque aut septem, decani constituti sub ipsis, duobus equis contenti sint, nec cum canibus venatoriis et avibus proficiscantur, nec sumptuosas epulas quaerant, sed recipiant quod honeste et competenter fuerit illis ministratum. Prohibet etiam, ne subditos suos talliis et exactionibus Episcopi gravare praesumant. Archidiaconi vero sive decani, nullas exactiones vel tallias in presbyteros seu clericos exercere praesumant.

CANON V.

Canone quinto statuitur quod si Episcopus aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, diaconum vel presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ecclesia convenientia stipendia militiae clericalis eidem assignet, nisi forte talis qui ordinatur extiterit, ut de sua vel paterna haereditate subsidium vitae possit habere.

CANON VI.

Canon sextus vetat ne Praelati suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, canonica monitione non praemissa, nisi forte talis sit culpa, quae per se ipsam suspensionis vel excommunicationis poe-

nam inducat. Vetat iterum, ne subiecti ad superiorum iudicium appellent ante ingressum causae; si vero quisquam pro sua necessitate crediderit appellandum, congruus prosequendae appellationi terminus praefigatur, infra quem, si prosequi subiectus neglexerit, Episcopus iure suo libere utatur. Si is qui appellavit, stato die occurrere neglexerit, convenientem appellato expensarum compensationem faciat. Vetat religiosis omnibus, qui pro aliquo excessu fuerint corrigendi, ne contra regularem Praelati sui et Capituli disciplinam, appellare praesumant.

CANON VII.

Canone septimo prohibetur ne quid exigatur aut pro personis ecclesiasticis in loco suo ponendis aut pro instituendis presbyteris in Ecclesiam, aut pro sepulturis exsequiisque mortuorum, aut pro benedictionibus nuptiarum seu aliis sacramentis, reprobaturque longa licet consuetudo contraria tamquam criminosa. Prohibetur etiam ne novi census ecclesiis imponantur ab Episcopis vel Abbatibus aliisque praelatis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ad suum usum impendere praesumant. Quidquid aliter factum sit, irritum declaratur.

CANON VIII.

Octavus Canon vetat ne beneficia antequam vacent alicui promittantur; iubet vero, ut intra sex menses praebendae ecclesiasticae aut officia vacantia conferantur, et si Episcopus conferre distulerit, per capitulum attribuantur. Quod si ad capitulum electio pertinuerit, et intra praedictum tempus facta non fuerit, Episcopus cum virorum religiosorum consilio collationem exsequatur. Si omnes neglexerint, Metropolitanus de illis disponat.

CANON IX.

Canone nono sancitur ut Fratres a Templo vel ab Hospitali atque alii religiosi, ecclesias et decimas de laicorum manibus non recipiant, sine consensu Episcoporum; ut ab Episcopis interdictos nominatim, aut excommunicatos evitent; iubet ut Ecclesiis, quae *pleno iure* ad eos non pertinent, presbyteros Episcopis instituendos praesentent, ut eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem: institutos autem, Episcopis inconsultis, non audeant removere. Si vero Templarii sive Hospitalarii ad ecclesiasticum interdictum venerint, (i. e. ad Ecclesiam interdictam) nonnisi semel in anno ad ecclesiasticum admittantur officium, nec tunc ibi corpora sepeliant defunctorum. De fraternitatibus (confratribus) hoc statuitur, ut si non se praedictis fratribus omnino reddiderint, sed in suis proprietatibus duxerint remanendum, propter hoc ab Episcoporum sententia nullatenus eximantur, sed potestatem suam in eos, sicut in alios parochianos exerceant cum pro suis excessibus fuerint corrigendi; haec vero de aliis etiam Religiosis observanda praescribuntur.

CANON X.

Canone decimo prohibetur ne quid exigatur aut detur ad Monasterii ingressum; ne Monachi peculium habeant; ne singuli per villas et oppida seu ad quascumque parochiales ecclesias ponantur, sed in maiori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant. Siquis vero pro sua receptione aliquid dederit, huic aditus ad sacros ordines non pateat, qui vero accepit, officio privetur. Praeterea iubetur ut Monachus, qui peculium sine permissione habuerit, a communione removeatur altaris, et qui cum peculio in exitu fuerit inventus, nec cum fratribus sepeliatur nec oblatio pro eo fiat. Insuper statuitur, prioratus etiam sive obedien-

tias, pretio dato, nulli tradendas, intentata dantibus et accipientibus poena, quae alienos eosdem reddat a ministerio. Denique decernitur, priores mutari non debere, nisi manifesta et rationabili de causa.

CANON XI.

Canone undecimo decernitur, ut clerici in sacris ordinibus constituti, mulierculas in domibus suis habentes, cum incontinentiae nota, aut eas abiiciant, aut ab officio et beneficio ecclesiastico fiant alieni. Quicumque vero incontinentia illa, quae contra naturam est, deprehensi fuerint laborare, si clerici sint eiiciantur a clero, vel ad poenitentiam agendam in Monasteriis detrudantur: si laici, excommunicationi subdantur et a coetu fidelium habeantur alieni. Denique edicitur, ut clerici qui monasteria sanctimonialium sine manifesta et necessaria causa, frequentant, per Episcopum coarceantur, et si non destiterint, beneficio ecclesiastico priventur.

CANON XII.

Canon decimus secundus praescribit ut Clerici sive in minoribus ordinibus sive in maioribus constituti, si stipendiis ecclesiasticis sustententur, coram iudice saeculari advocati in negotiis fieri non praesumant, nisi propriam vel ecclesiae suae causam fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, quae proprias causas tueri, non possunt. Sed nec procurationes Villarum, aut iurisdictiones etiam saeculares sub aliquibus Principibus, vel saecularibus viris, ut iustitiarii eorum fiant, clericorum quisquam assumere praesumat. Si quis secus fecerit, fiat alienus a ministerio ecclesiastico. Districtius autem decernitur puniendus religiosus, qui praedicta attentet.

CANON XIII. et XIV.

Canone decimo tertio et decimo quarto prohibetur beneficiorum pluralitas, praecipitur residentia et sub ana-

thematis poena vetatur, ne laici clericos instituant in ecclesiis vel removeant, aut alia bona ecclesiastica pro sua voluntate distribuant, vel ecclesias et eorum rectores exactionibus gravent. Presbyter vero sive clericus, qui ecclesiam per laicos sine auctoritate proprii Episcopi receperit, communione privatur et si non resipuerit a ministerio ecclesiastico et ordine deponitur. Denique prohibetur, ne laici decimas detinentes eas in alios laicos transferant: si quis vero receperit et Ecclesiae non tradiderit, privatur sepultura ecclesiastica.

CANON XV.

Canon decimus quintus praecipit ut clericorum bona, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes ecclesias remaneant. Praeterea privantur officio illi, qui pretio soluto constituuntur decani quique pecuniae gratia iurisdictionem episcopalem exercent. Adimitur autem Episcopis potestas conferendi hoc officium.

CANON XVI.

Decimo sexto Canone statuitur ut, nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabile fuerit ostensum, appellatione remota, semper praevaleat et suum consequatur effectum quod a maiori et saniori parte Capituli fuerit constitutum, non obstante iuramento quod forte aliquis ad conservandam ecclesiae suae consuetudinem se dicat emisisse. Si quis autem huiusmodi consuetudines, quae ratione iuvantur et sacris congruunt institutis, irritare praesumpserit, ab Eucharistia fiat alienus, donec poenitentiam egerit.

CANON XVII.

Canone decimo septimo statuitur ut si forte in plures partes abierint fundatorum suffragia, ille praeficiatur Ec-

clesiae, qui maioribus iuvatur meritis, et plurimorum eligitur et probatur assensu. Si autem hoc sine scandalo fieri nequiverit, provideat Antistes ecclesiae vacanti sicut melius viderit secundum Deum expedire. Id ipsum etiam faciat, si de iure patronatus quaestio emerserit inter aliquos, et cui competat intra tres menses non fuerit definitum.

CANON XVIII.

Canone decimo octavo praescribitur in unaquaque Ecclesia Cathedrali assignandum competens aliquod beneficium Magistro, qui clericos eiusdem Ecclesiae et scholares pauperes gratis erudiat; et in aliis quoque ecclesiis sive Monasteriis restituendum, si quid anteactis temporibus ad hoc fuerit constitutum. Pro licentia vero docendi, nullus pretium exigat, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ab iis qui docent aliquid quaerat, neque cuipiam, qui sit ad docendum idoneus, docendi licentia denegetur. Qui secus fecerit a beneficio ecclesiastico fiat alienus.

CANON XIX.

Canone decimo nono prohibentur sub anathematis poena mundi Rectores et Consules civitatum et alii qui potestatem habent, onera imponere ecclesiis, easque gravibus crebrisque exactionibus premere, nisi Episcopus et Clerus tantam esse necessitatem vel utilitatem viderint, ut absque ulla coactione ad sublevandas communes necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda.

CANON XX.

Canon vicesimus confirmat Canonem decimum quartum Concilii Lateranensis secundi, quo torneamenta inhibentur.

CANON XXI.

Canone vicesimo primo iubetur servari inducias, sive *treguas*.

CANON XXII.

Canon vicesimus secundus vetat, ne sine auctoritate Regum et Principum imponantur, nova pedagia.

CANON XXIII.

Canone vicesimo tertio praescribitur ut Leprosi proprium habeant oratorium et coemeterium, et a decimis sint immunes.

CANON XXIV.

Canone vicesimo quarto vetatur arma, ferrum et alia necessaria deferri ad Saracenos sub poena anathematis; eademque poena multantur, qui navigantes capiunt et spoliant.

CANON XXV.

Canone vicesimo quinto manifesti usurarii communione et sepultura christiana privantur si in hoc peccato decesserint.

CANON XXVI.

Canone vicesimo sexto vetatur christianis, Iudaeos et Saracenos in domibus suis ne ut servos quidem retinere, nisi convertantur.

CANON XXVII.

Canon vicesimus septimus damnat Waldenses et Albigenses, aliosque haereticos, qui in partibus Tolosanis grassabantur ac adversus illos, propositis indulgentiis, bellum sacrum indicitur.

CONCILIUM OECUMENICUM DUODECIMUM

LATERANENSE IV.

Triplicem huius Concilii finem exposuit Innocentius III Pont. Max. in oratione habita sub eius exordium, 1° liberandi Hierosolymam a Mohometanorum tyrannide, 2° exstirpandi Waldensium et Albigensium haeresim, damnandique Ioachimi et Almarici errores, 3° reformandi ecclesiasticam disciplinam.

Quod attinet ad Episcopos praesentes, cum tunc temporis Parochus S. Pauli urbis Constantinopolitanae atque Archiepiscopus Heracleensis Patriarchatum illum ambirent, ambo Romam advenerant paulo ante Concilii exordium, ut sua iura defenderent. At Pontifex, electione utriusque posthabita, ad dignitatem illam presbyterum quemdam Gervasium ex Etruria evexit, qui sessionibus adfuit. Aderat Patriarcha Hierosolymitanus atque Maronitarum, Antiochenus autem et Alexandrinus per procuratores. Universi vero, qui adfuerunt Episcopi numeratur 412. Interfuerunt insuper Abbates et Priores numero 800 et amplius, absentium Praelatorum et Capitulorum Procuratores innumeri, denique Legati utriusque Imperatoris Occidentalis et Orientalis, Regum Galliae, Hispaniae, Angliae, Hungariae, Aragoniae, Siciliae, Hierosolymae, Cypri aliorumque Principum ac Rerumpublicarum.

Initium habuit die 11 mensis Nov. an. 1215 in Lateranensi Basilica ac tribus sessionibus absolutum est die 30 nov. eiusdem anni.

Inter Acta huius Concilii, quorum tamen documenta nobis aetas invidit, refertur confirmata electio Friderici II Romanorum Imperatoris, adiudicatio bonorum ac ditionum Comitis Tolosani ad Simonem Comitem Montis Fortis: translatio archiepiscopatus Salaminae in Nicosiam civitatem et ad illam sedem latini Archiepiscopi electio: confirmatio fundationis Archiepiscopatus Chiemsiensis (Chiemsee) per Eberhardum factae, declaratio nullitatis matrimonii initi a Burchardo d'Avesnes subdiacono cum Margherita Flandriae principe. At authentica magis sunt et ad finem Concilii propius spectantia septuaginta Capitula, quibus tum rebus, tum disciplinae provisum est, ac Decretum latum de suscipienda in Palaestinam expeditione.

Cum vero pleraque ex his Capitibus in Libros quinque Decretalium Gregorii IX sint relata ac magnam Iuris Canonici partem constituant, hinc ea breviter ac per summa capita heic exponemus.

Cap. I. — Proponitur symbolum fidei contra errores ea aetate grassantes. In prima eius parte exhibetur doctrina de unitate naturae ac distinctione trium personarum: Deus unicum omnium rerum principium ac universi creator, corporum ac spirituum, angelorum et hominum definitur: diabolum et daemones a Deo per creationem exstitisse bonos, sed ipsos semet fecisse malos ac tentatores hominum, docetur.

In altera parte agitur de incarnatione Filii, de duabus eius naturis, de mortis sacrificio, de resurrectione, ascensione, deque eius altero adventu in fine saeculi ad iudicandos vivos et mortuos ac reddendum singulis secundum opera sua.

In tertia parte agitur de Ecclesia extra quam nulla salus, de reali praesentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, de transubstantiatione, deque huius sacra-

menti ministro, qui unus est Sacerdos rite ordinatus. Sacramentum Baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum. dicitur proficere ad salutem, eos vero qui post illius susceptionem prolapsi fuerint in peccatum, per veram poenitentiam semper posse reparari. Declaratur tandem non solum virgines et continentes, verum etiam coniugatos posse salvari.

Ex his verbis Capitis « qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, angelicam videlicet et humanam » nonnulli colligunt de fide esse Angelos simul cum mundo corporeo conditos fuisse. Id tamen alii negant contendentes, Concilium voluisse tantum damnare errorem Origeni tributum quod scilicet, angeli et animae rationales *per se* tantum productae fuerint, corpora vero per *accidens*. hoc est propter demerita spiritualium substantiarum, quae illis includerentur. (S. Th. Op. 13.)

Cap. II. — Damnatur error Abbatis Ioachimi, qui edito adversus Petrum Lombardum libro, eumdem insanum et haereticum traduxit, eo quod in suis sententiarum libris scribat, quod summa quaedam res est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quae non est generans, nec genita, nec procedens; qua ex propositione Ioachimus deduxit, Petrum Lombardum quaternitatem admittere in SSma Trinitate. Ad haec Lombardi sententia tamquam catholica probatur. Tum damnantur ut haeretici qui Ioachimo assentiuntur, Ioachimi tamen persona et Monasterium nulla afficiendum poena decernitur. Demum Almarici doctrina, non tam haeretica quam insana, reprobatur.

Hoc in capite damnata est doctrina Ioachimi non vero eius persona. Is enim omnia sua scripta Sedi Apostolicae obtulit, iudicio eius aut probanda aut corrigenda, scripto professus, firmiter a se teneri eam fidem, quam Romana tenet Ecclesia.

Almaricus vero Carnotensis, teste Genebrardo Lib. IV. Chronologiae, viginti errorum convictus fuit, quorum unus erat, Christi corpus non magis esse in pane, quam in qualibet alia re. Plures illius errores recenset Sanderus lib. 7 de visib. Monarchia. Corpus eius exhumatum et combustum est, eius autem sectatores Parisiis vivi sunt concremati.

Has inter errorum procellas Ecclesia, palmae instar per turbines eluctantis, nova eaque immensa aucta propagine in Dominico et Francisco defensores nacta est fortissimos, adversum circumfrementes in agro praesertim Tolosatium, Albigenses aliosque haereticos. Et quidem B. Dominicus, quem merito facem terrarum orbi sanctitatis et doctrinae luce affulgentem dixeris, cum Fulcone Tolosano Episcopo ad Concilium profectus, Innocentio III consilium aperuit de instituendo Praedicatorum Ordine, qui, ab Honorio deinde III et Innocentio IV sub regula S. Augustini approbatus est. B. Franciscus vero seraphicum Ordinem FF. Min. nova sub regula institutum, Innocentio III et Concilio confirmandum obtulit.

Cap. III. — Excommunicantur haeretici omnes cuiuscumque nominis, post damnationem vero seculari potestati subiiciuntur eorumque bona, si laici sint, fisco adiudicantur, si vero clerici, ecclesiis a quibus stipendia perceperunt. Qui vero suspecti inventi sint, nisi innocentiam suam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriuntur, et usque ad satisfactionem condignam, ab omnibus vitari iubentur; quod si per annum in excommunicatione contumaces perstiterint, hoc ipso veluti haeretici condemnantur. Praeterea Concilium haereticorum impugnatores privilegiis ornat, receptores vero, defensores et fautores excommunicatione aliisque poenis afficit; sine Episcopi licentia praedicantes communione privat; statuit ut unusquisque Archiepiscopus vel Episcopus per se, aut per Archidiaconum, vel idoneas personas honestas, bis aut saltem semel in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit haereticos habitare, circumeat.

Si aliquis Episcopus negligens fuerit vel remissus in expurgando ab haereticae pravitatis fermento suam dioecesim, de gradu episcopali deiicitur et alter in eius locum substituitur.

Cap. IV. — Excommunicantur et si perrexerint deponuntur, Sacerdotes graeci, qui latinos exsecrantur sacerdotes, aut pollui ab his altaria sacrificiis declamant, vel a Latinis baptizatos rebaptizant.

Cap. V. — Antiqua definitur controversia, post Romanum nempe Patriarcham primum Constantinopolitano, secundum Alexandrino, tertium Antiocheno, quartum Hierosolymitano locum esse tribuendum.

Praecipitur ut Patriarchae a Papa, qui vero subiecti sunt Patriarchis, ab eisdem pallium accipiant, praestito fidelitatis iuramento et pro romana Ecclesia sponsione obedientiae. Conceditur ut Patriarchae dominicae crucis vexillum ante se faciant ubique deferre, nisi in urbe romana et ubi Summus Pontifex praesens sit, vel eius legatus utens insignibus Apostolicae dignitatis. Appellatio ad eosdem conceditur omnibus subiectis eorum iurisdictioni, salva appellatione ad Apostolicam Sedem.

Cap. VI. — Iubentur Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia celebrare concilia. Ut autem hoc efficacius expleant, per singulas dioeceses statuere iubentur idoneas personas, quae absque iurisdictione pervestigent quae correctione vel reformatione digna sint, eaque diligenter deferant ad Metropolitanum et suffraganeos et alios in Concilio subsequenti; quicumque hoc neglexerit adimplere, a suis beneficiis et officiis suspenditur.

Cap. VII. — Ecclesiarum Praelati de corrigendis subditorum excessibus, et maxime clericorum, impense monentur, eorumque exsecutionem nulla consuetudine vel appellatione impediri edicitur, nisi modum fuerint supergressi in talibus observandum.

Cap. VIII. — Statuitur quomodo et quando debeat Praelatus procedere ad inquirendos ac puniendos subditorum excessus vel per *accusationem*, vel per *denuntiationem*, vel per *inquisitionem*. Praescribitur vero ut accusationem praecedat legitima inscriptio, denunciationem charitativa admonitio, inquisitionem clamorosa insinuatio seu infamia publica.

Cap. IX. — Praecipitur ut Episcopi idoneos comparent viros, qui pro diversitate rituum et linguarum, divina officia celebrent et sacramenta ministrent in illis civita-

tibus et dioecesibus, in quibus permixti sunt populi diversarum linguarum et rituum. Prohibetur ut una civitas vel dioecesis diversos Pontifices habeat, sed si necessitas postulet, Episcopus loci constituat sibi Vicarium.

Statutum hoc est propter permixtos in eadem urbe cum Latinis Graecos, praesertim ubi Latini Thraciam et Graeciam expugnaverant, non tamen per hunc Canonem concessum est, ut heterodoxi volunt, qualibet lingua celebrari divina mysteria, sed latina tantum et graeca.

Cap. X. — Praescribitur ut Episcopi viros idoneos ad sanctae praedicationis officium vice sua assumant, nec non ad audiendas confessiones et poenitentias iniungendas.

Cap. XI. — Statuitur ut in qualibet cathedrali ecclesia et in aliis, magister idoneus, a Praelato cum capitulo, seu cum maiori ac saniori parte capituli eligendus, constituatur, qui clericos gratis in grammatica facultate aliisque instruat. Metropolitana vero ecclesia theologum habeat, qui sacerdotes in sacra Scriptura erudiat.

Cap. XII. — Iubetur in singulis regnis vel provinciis de triennio in triennium, salvo iure dioecesanorum Pontificum, commune capitulum Abbatum atque Priorum fieri.

Cap. XIII. — Prohibetur ne quis novum religiosum Ordinem instituat, sed unum ex approbatis assumat. Qui vero voluerit religiosam domum fundare, regulam et institutionem accipiat ab Ordinibus approbatis.

Cap. XIV. — Agitur de incontinentia clericorum punienda secundum canones, et illis qui secundum regionis suae morem non abdicarunt copulam, legitimi matrimonii usus conceditur.

Cap. XV. — Interdicitur clericis crapula, ebrietas et venatio.

Cap. XVI. — Praescribitur ut clerici non se immisceant negotiis saecularibus, quae eorum statum dedecent, ut ab aleis et tabernis abstineant, ut tonsuram et coro-

nam gerant, vestiantur modeste et congrue tum intra, tum extra Ecclesiam.

Cap. XVII. — Sub poena suspensionis prohibentur Clericis minoribus et Praelatis comessationes superfluae et confabulationes illicitae, negligentia in divinis officiis, et consuetudo celebrandi vix quater in anno.

Cap. XVIII. — Statuitur ne Clerici intersint iudicio sanguinis, eique commodent operam ac ut abstineant a chirurgia, quae fit per ustionem, aut per incisionem.

Cap. XIX. — Supellex et vasa templi sint munda.

Cap. XX. — Chrisma et Eucharistia sollicite custodiatur.

Cap. XXI. — Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum, alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri, licentiam habeat a proprio sacerdote.

Hic est celeberrimus ille Canon, quem haeretici tamquam novum Concilii inventum tantopere aversantur. Verum Concilium heic tantum declaravit, tempus quo praeceptum divinum confessionis privatae et communionis debeat impleri. Ceterum nomine proprii Sacerdotis intelligitur Papa, Episcopus, Parochus, aut quibus hi per delegationem seu per privilegia potestatem dederint.

Cap. XXII. — Statuitur ut medici corporis, ad infirmos accersiti, ante omnia vocari curent medicos animae, ac ne suadeant aliquid, quod obsit animae.

Cap. XXIII. — Cavetur ne ultra tres menses ecclesia cathedralis aut regularis vacet. Alias electores eligendi

potestate pro ea vice priventur, devoluto iure ad proxime superiorem, qui ultra tres menses non differat providere.

Cap. XXIV. — Determinatur triplex modus eligendi per *inspirationem*, vel *scrutinium*, vel *compromissum*. Aliter facta electio nullius effectus declaratur. Praescribitur itaque ut convocatis omnibus, qui debent, possunt et volunt interesse, assumantur tres scrutatores de Collegio, qui secreto et singillatim suffragia exquirant et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, ut is eligatur, in quem maior vel sanior pars consenserit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur. Ne quis autem Procuratorem constituat, nisi absens sit in eo loco, de quo debeat advocari, iustoque impedimento detentus venire non possit, facta de hoc, si opus sit, fide per iuramentum. Tunc vero uni e collegio vices suas committat.

Cap. XXV. — Statuit, electionem factam per saecularem potestatem esse ipso iure nullam; consentientem vero inhabilem fieri ad dignitatem.

Cap. XXVI. — Edicitur ut confirmator diligenter examinet factam electionem et personae aptitudinem. Extra Italiam electi in concordia, possunt interim Ecclesiam administrare, nihil tamen alienare.

Cap. XXVII. — Episcopi promovendos ad Sacerdotium diligenter instruant, aut instruendos curent. Praestat enim paucos habere ministros bonos, quam multos malos.

Cap. XXVIII. — Si quibus concessa est facultas beneficiis renuntiandi, compellantur renuntiare, quia vel propter Ecclesiae commodum, vel propter salutem propriam renuntiatio ipsis est concessa.

Cap. XXIX. — Qui habens iam beneficium curatum, tale aliud recipit, ipso iure privatus est priori, et si utrumque retinere velit, etiam secundo expolietur. Nec quisquam in eadem ecclesia plures dignitates aut personatus simul retineat, licet non habeant adnexam curam. Cum

sublimibus tamen et litteratis, potest Sedes Apostolica dispensare.

Corrigitur hic dispositio Alexandri III qui optionem dabat, utrum ex duobus, beneficiatus vellet retinere.

Cap. XXX. — Ad beneficia ecclesiastica assumantur idonei, reiectis indignis.

Cap. XXXI. — Canonicorum filii, maxime spurii, ne fiant Canonici in ecclesiis, in quibus eorum Patres fuerant instituti.

Cap. XXXII. — Parochis congrua portio detur ex proventibus ecclesiae. Parochus non per Vicarium, sed per se ipsum deserviat, nisi forte praebendae vel dignitati sit adnexa parochialis ecclesia.

Cap. XXXIII. — Procurationes ratione visitationis debitae, extra actualem visitationem non exigantur; eaeque tunc etiam sint moderatae, cum visitatores non debeant quaerere quae sua sunt, sed quae Iesu Christi.

Cap. XXXIV. — Praelati plus debito exigentes a subditis, praetextu procurationis legato vel alteri visitanti impenso, debent prius extorti restitutionem ei facere cui damnum inlatum est, deinde tantumdem pauperibus largiri.

Cap. XXXV. — Ne appelletur absque rationabili causa ad superiorem iudicem ante sententiam. Causa autem debet exponi ipsi Iudici.

Cap. XXXVI. — Licet pars appellaverit a sententia interlocutoria, si tamen iudex eam revocaverit, potest in causa pergere; quia cessante causa, cessat effectus.

Cap. XXXVII. — Nemo per litteras Apostolicas ad iudicem, ultra duas dietas remotum, trahi possit, nisi litterae, de assensu partium fuerint impetratae, aut de isto Canone Concilii specialem faciant mentionem. Nec quis, absque mandato speciali sui Domini, litteras impetret pro illo.

Bonifacius VIII c. statutum §. cum vero de Rescript. in VI. deinde statuit, ne quis possit ultra unam dietam (decem horarum iter) extra suam Dioecesim ad iudicium trahi.

Cap. XXXVIII. — Iudex curet omnia iudicii acta diligenter conscribi, nempe citationes et dilationes, recusationes et exceptiones, testimonia, instrumenta, interlocutiones, appellationes etc.

Cap. XXXIX. — Si quis a spoliatore rem alienam scienter acceperit, contra possessorem huiusmodi, spoliato per restitutionis beneficium succurratur, licet non probet dominium, (non obstante rigore Iuris Civilis) cum detentor rei alienae, succedat in vitium, et non multum differant, praesertim quoad periculum animae, detinere iniuste et invadere alienum.

Cap. XL. — Quando *actori* ob *rei* contumaciam adiudicatur detentio rei custodiae causa, is vero illam a *reo* consequi non potest, nihilominus post annum elapsum, fit verus illius rei possessor, consequenter omnia possessionis commoda consequitur. Super rebus spiritualibus ne compromittatur in laicum.

Cap. XLI. — Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, absque bona fide nulla valeat praescriptio tam canonica, quam civilis; cum sit generatim omni constitutioni ac consuetudini derogandum, quae absque mortali non potest observari peccato. Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte habeat rei conscientiam alienae.

Cap. XLII. — Nec laici clericorum, nec Clerici laicorum iura invadant: ut reddantur, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.

Cap. XLIII. — Ecclesiastici qui nihil temporale habent a laicis, ne cogantur ab istis iuramentum fidelitatis praestare.

Cap. XLIV. — Alienatio feudorum, rerumque ecclesiasticarum sine legitimo personarum ecclesiasticarum consensu, non valet, licet approbetur per constitutiones laicorum.

Cap. XLV. — Patroni, advocati ecclesiarum etc. ne plus sibi usurpent, quam iure concessum est: quia, quod

ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debet detorqueri. Si vero Patroni, vel Advocati, aut Feudatarii, seu vicedomini seu alii beneficiati, Rectorem Ecclesiae vel clericum occiderint vel mutilarint, amittant munus vel beneficium, prorogata poena irregularitatis in quartam eorum generationem.

Cap. XLVI. — Confirmatur anathema a Concilio Lateranensi III latum in Rectores civitatum et alios, qui Ecclesias et Clericos collectis et exactionibus premunt. Si necessitas postulet, ut subsidium conferat Ecclesia, id fiat absque coactione, ubi facultates Laicorum non sufficiunt, consulto prius Romano Pontifice, cuius est communibus necessitatibus providere.

Cap. XLVII. — Statuitur ne quis excommunicationis sententiam ferat, nisi monitione praemissa, praesentibus idoneis personis, et manifesta iustaque de causa.

Cap. XLVIII. — Si quis iudicem velut suspectum recusaverit, coram eo causam recusationis proponat, ac simul cum parte vel iudice arbitros eligat. Causa coram arbitris non probata, iudex utatur sua iurisdictione; ea vero probata coram arbitris, Iudex remittat negotium ad Superiorem; vel cum consensu recusatoris tertio committat. Si vero crimen sit manifestum, nulla appellationis habeatur ratio: quia appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad praesidium innocentiae est inventum.

Cap. XLIX. — Nullus cupiditatis seu avaritiae causa aliquem excommunicet, aut excommunicatum absolvat.

Cap. L. — Prohibitio matrimonii inter consanguineos et affines ad quartum gradum restringitur.

Cap. LI. — Clandestina prohibentur matrimonia et proles ex iis susceptae, censentur illegitimae.

Cap. LII. — Cum olim consanguinitas, usque ad septimum gradum dirimeret matrimonium, sufficiebant testes de auditu: iam vero cum a concilio impedimentum hoc sit restrictum ad quartum gradum, testes de auditu non recipiuntur nisi sint viri fide digni et ante litem motam testata

didicerint ab antiquioribus saltem duobus fide dignis et omni exceptione maioribus computatis clarius gradibus cognationis ab utroque latere ac praeterea iuramento addito, se vidisse personas, saltem in uno ex praedictis quatuor gradibus haberi pro consanguineis.

Cap. LIII. — Domini praediorum decimalium, non committant illa excolenda hominibus, qui integre decimas non solvunt.

Cap. LIV. — Cum in signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit, solvantur prius decimae ex fructibus, quam census et tributa. Si autem haec prius soluta fuerint, ex ipsis etiam tributis solvi debent decimae.

Cap. LV. — Regulares ex alienis terris (subiectis oneri decimarum) deinceps acquirendis decimas persolvant ecclesiis, licet eas propriis manibus et sumptibus excolant.

Cap. LVI. — Pacta, quibus in praeiudicium parochiarum locationes aut infeudationes fiunt, ea lege ut locatoribus decimae solvantur, prohibentur, cum obligatione restitutionis Parochis faciendae.

Cap. LVII. — Declarantur aliqua privilegia Regularibus concessa praesertim circa aperitionem unius tantum ecclesiae semel in anno, tempore interdicti.

Cap. LVIII. — Quod nonnullis Regularibus est concessum, conceditur etiam Episcopis, ut divina officia possint celebrare tempore interdicti generalis, nisi ipsi causam praestiterint interdicto, sed exclusis excommunicatis et interdictis, ianuis clausis, submissa voce, et non pulsatis campanis.

Cap. LIX. — Praecipitur, ne religiosi fideiubeant absque Praelati et maioris partis capituli consensu, vel pecuniam mutuo accipiant, ultra summam communi providentia constitutam. Alias non tenetur conventus pro his respondere, nisi forte manifeste constiterit, in bonum communitatis redundasse negotium.

Cap. LX. — Abbates se non ingerant iis, quae sunt officii episcopalis, de causis matrimonialibus cognoscendo,

poenitentias publicas iniungendo, indulgentias concedendo, nisi specialiter eis fuerit concessum.

Cap. LXI. — Regulares non recipiant de manibus laicorum parochias aut decimas, sine consensu Episcopi. Neque excommunicatos, vel nominatim interdictos admittant ad divina. Item in ecclesiis, quae ad ipsos non pertinent pleno iure, Presbyteros idoneos Episcopis praesentent instituendos, ut illis (seu Episcopis) de plebis cura respondeant, ipsis vero (seu religiosis) pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos vero Presbyteros removere sine consensu Episcopi non audeant.

Cap. LXII. — Sacrae reliquiae non exponantur venales, nec ostendantur extra capsam: inventas autem de novo, nemo publicae venerationi praesumat exhibere, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae. Evitentur circa eas omnes deceptiones, figmenta, et falsa documenta.

Eleemosynarum quaestores non admittantur, nisi Papae aut dioecesani litteras exhibeant. Ad haec, quia per indiscretas et superfluas indulgentias claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur, temperandae sunt. Cum dedicatur Basilica, tantum unius anni indulgentia concedatur, in anniversario autem dedicationis tantum 40 dierum: nec plurium pro aliis etiam causis: quia etiam Papa hanc moderationem observare consuevit.

Cap. LXIII. — Nihil exigatur, quocumque praetextu, pro Episcoporum consecrationibus, Abbatum benedictionibus, et Clericorum ordinationibus. Consuetudo contraria ut corruptela penitus reprobatur.

Cap. LXIV. — Non recipiantur Moniales pro pretio, statuta in recipientem et receptam poena perpetuae relegationis in locum arctioris regulae, eadem exactio Monachis et Regularibus sit prohibita.

Cap. LXV. — Episcopi nihil exigant pro concessione institutionis beneficialis, professionis religiosae, aut sepulturae.

Cap. LXVI. — Exsequiae mortuorum, benedictiones nuptiales, administrationes Sacramentorum fiant gra-

tis servata tamen pia et laudabili locorum consuetudine.

Cap. LXVII. — Si Iudaei a Christianis immoderatas usuras extorserint, Christiani nullam cum illis communicationem habeant, donec satisfecerint. Compellendi etiam Iudaei ad solvendas decimas ex possessionibus, antequam ad eos devenirent, huic oneri obnoxiis.

Cap. LXVIII. — Iudaei a Christianis habitu ubique locorum debent esse distincti. In diebus autem lamentationis et Dominicae Passionis in publicum ne prodeant.

Cap. LXIX. — Iudaei aut Pagani ne praeficiantur publicis officiis.

Cap. LXX. — Iudaei aliique, ad christianam fidem conversi, ne permittantur eam cum veteribus eorum ritibus permiscere.

Decretum vero latum pro sacris expeditionibus haec statuit 1) Cruce signatos calendis Iunii, Brundusium convenire iubet. 2) Monet Sacerdotes ut recte officio fungantur, a dissensione abstineant, non praesumant de se, sperent in Deo. 3) Clericis huic expeditioni adiunctis, perceptionem beneficiorum integram per triennium concedit. 4) Qui votum expeditionis fecerunt, excommunicatione ad implendum illud compelli, ac alios ut faciant a Praelatis excitari iubet. 5) Praeter magnam pecuniae vim a Pontifice sponte collatam, decernit vicesimam proventuum ecclesiasticorum partem per triennium in hoc opus conferendam. 6) Signatos cruce ab oneribus omnibus liberat, eorum bona sub S. Petri tutela recipit, de iis usuras exigi vetat. 7) Piratas expeditionis turbatores eorumque qualibet ratione adiutores, aut subsidia qualiacumque Saracenis ferentes, anathemate percellit. 8) Quo traiectio expeditionis facilior sit, prohibet navigationem aliam in terras Saracenorum, item torneamenta per triennium. 9) Inducias seu *treguam* Principibus christianis per quatriennium imperat. 10) Expeditionem vel armis vel subsidio iuvantibus, corde contritis et ore confessis, indulgentiam plenariam impertit.

CONCILIUM OECUMENICUM TERTIUMDECIMUM

LUGDUNENSE I.

Fridericus II ex Sueviae Principum prosapia, ingentium beneficiorum quibus ab Apostolica Sede affectus fuerat immemor, arma quae ex voto concepto ad recuperanda sacra Palaestinae loca conferre tenebatur, in Romanos Pontifices convertit.

Postquam enim graves cum Honorio III simultates exercuit, quas postmodum adversus Gregorium IX ac Caelestinum IV prosequutus est, universam factionibus et bellis laceravit Italiam, complures Romanae ditionis terras invasit, ac Romam ipsam obsidione cinxit, commotis incitatisque factionibus eorum, qui Imperatoris partes tuebantur, quibus Gibellinorum nomen inditum.

His calamitatibus accedebant Saracenorum in Orientem simul atque Occidentem incursus, ac Tartarorum depopulatio, qui direpta utraque Armenia, ac vastatis provinciis inter mare Caspium et Euxinum positis, Moscoviam, Poloniam, Transylvaniam atque Hungariam caedibus atque incendiis desolaverant. Angebat denique Innocentii IV animum collapsa Ecclesiae disciplina morumque perversitas sive Cleri sive populi christiani, ac Graecorum schisma quod in dies augebatur. Ut igitur tam luctuosis malis occurreret, Innocentius ingenti animo Ecclesiae universae utilitatem salutemque complexus, clam in Galliam ad S. Lu-

dovicum Regem profugit et Concilium generale Lugduni indixit. Adfuere, praeter plurimos Cardinales, Abbatum procuratores et Capitulorum legatos, 140 Episcopi, inter quos Constantinopolitanus, Antiochenus, et Aquileiensis Patriarchae. Ad Pontificis dexteram sedit Balduinus Orientis Imperator, ad sinistram alii Principes laici. Adfuerunt etiam Friderici Legati.

Congregatum fuit in Aedibus Monachorum S. Iusti die 28 iunii an. 1245, absolutum die 17 iulii.

In Sessione prima Pontifex, oratione ad Patres habita, aerumnas Ecclesiae quinque Christi vulneribus comparat, quarum prima erat Tartarorum ac Saracenorum in Christianorum terras irruptio: secunda Graecorum schisma: tertia haeresum grassantium labes: quarta amissio Terrae Sanctae: quinta Friderici in Ecclesiam persecutio. Ingemuit vero quod Imperator pessime ob suspicionem haeresis audiret, eo quod urbem pro Saracenis aedificasset, eorum ritus amplecteretur amicitiam cum Sultano Babylonensi foveret, saracenis mulieribus abuteretur, ac iuramenta pluries praestita Honorio Pontifici violasset, quibus Siciliae Regnum atque Apuliae tamquam B. Petri proprietatem cognoverat, beneficiorum collationi renuntiaverat, et quibus possessiones a Radicofano ad Cepranum interiacentes cum Marchia Anconetana, Ducatu Spoletano, ac Ravennatensi Exarchatu, Pentapoli ac Romandiola bonisque Comitissae Mathildis, Romanae Sedi adiudicandas promiserat.

In Sessione secunda Episcopus Calemensis Friderici sacrilegia, caeteraque scelera, vim ac tyrannidem, Patrum oculis subiecit, quae quidem diluere conatus est Thaddaeus Friderici Orator et Camerae Imperialis Iudex, qui rerum forensium usu exercitatus, magno animo pro Friderico peroravit, crimina obiecta alia inficiando, alia excusando, quaedam in ipsos Pontifices retorquendo. At cum nihil profecisset, duarum hebdomadum inducias postulavit ac obtinuit, quoad ipse Imperator coram caussam dicturus in Concilium advenisset.

Hoc intervallo Summus Pontifex collegit quadraginta Praesules, iisque subscribenda obtulit omnia privilegia, quae Imperatores et Reges diversis temporibus Ecclesiae Romanae concesserant.

In Sessione tertia, instituta pro festo Nativitatis Beatissimae Virginis octava, editi sunt Canones seu Constitutiones, praeter decreta causas Concilii attingentia, quae Constitutiones iudiciariam rationem moderabantur.

Cum vero Imperator parere Concilio abnueret, auditis contra eum accusationibus, quibus legatus eius respondendo nihil proficiebat, et reiecta eius appellatione ad Concilium proxime futurum generalius, sententia excommunicationis et depositionis in Fridericum lata est, his verbis: « Nos itaque super praemissis et compluribus aliis eius nefandis excessibus, cum fratribus nostris et sacro concilio, deliberatione praehabita diligenti.... memoratum Principem, qui se imperio et regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates a Deo, ne regnet vel imperet, est abiectus, suis ligatum peccatis et abiectum omnique honore et dignitate privatum a Domino ostendimus, denuntiamus ac nihilominus sententiando privamus. Omnes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur adstricti, a iuramento huiusmodi perpetuo absolventes, auctoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de caetero sibi tanquam Imperatori vel Regi pareat vel intendat, et decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori aut Regi consilium vel auxilium praestiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiacere. » Hactenus Innocentius. Denique renovatum fuit Decretum expeditionis sacrae in Palaestinam, cui dux designatus Ludovicus Galliae Rex.

Septemdecim editi sunt Canones, quorum priores duodecim iudiciorum ecclesiasticorum formae consulunt, unde in Corpus Iuris Canonici postea relati sunt. In aliis vero agitur de suppetiis ferendis Imperio Constantinopolitano, de impediendis Tartarorum incursionibus, de cruciatis, hoc

est de iis qui accepta cruce profecturos se in Palaestinam voverant, quos censuris ecclesiasticis ipsaque etiam excommunicatione cogendos statutum est ut votum, quo sese obstrinxerant, bona fide exsolverent.

Canonum summa haec est.

CANON I.

Canone primo statuitur ut cum Pontifex rescripto delegat Iudicem cum illa generali clausula « ut quidam alii etiam conveniri coram eo possint » ultra tres vel quatuor in iudicium conveniri nequeant, quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator, ne fraudi locus forsitan relinquatur, si circa ea possit variare.

CANON II.

Canone secundo iubetur ne a Sede Apostolica vel delegatis ipsius, causae aliquibus committantur, nisi personis quae vel dignitate sint praeditae, vel in Ecclesiis Cathedralibus seu aliis Collegiatis honorabilibus constitutae, nec alibi quam in civitatibus vel locis magnis et insignibus, ubi haberi valeat copia iuris peritorum, causae huiusmodi agitentur. — Iudicibus vero, qui contra hoc statutum ad alia loca alterutram vel utramque partem citaverint, impune non obediri edicitur, nisi citatio de utriusque partis processerit voluntate.

CANON III.

Canone tertio irritantur ac pro non adiectis habentur vota conditionata, alternativa, dubia et incerta in electionibus, postulationibus ac scrutiniis.

CANON IV.

Canone quarto statuitur ut Conservatores, qui plerumque conceduntur, possint a manifestis iniuriis et violentiis defendere illos, qui eis defendendi committuntur, nec ad alia, quae iudicialem indaginem exigunt, suam valeant extendere potestatem.

CANON V.

Canone quinto decernitur quod Iudex delegatus non possit alterutram partem ad comparendum coram se personaliter in iudicio obligare, nisi speciale ad hoc mandatum acceperit a Sede Apostolica, vel nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda vel iuramento calumniae faciendo, iuris necessitas hoc exegerit.

CANON VI.

Canone sexto statuitur, ut exceptio peremptoria non impediat vel retardet litis contestationem, nisi sit exceptio rei iudicatae aut transactae.

CANON VII.

Canone septimo Actor non comparens in termino ad quem citare adversarium fecerat, condemnatur reo comparenti in expensas propter hoc factas. Nec ad citationem aliam, nisi sufficienter caverit quod in termino fideliter compareat, admittitur.

CANON VIII.

Canone octavo statuitur ut si quis contra alium plures personales movere velit quaestiones, non ad diversos iudi-

ces, sed ad eosdem super omnibus huiusmodi quaestionibus litteras studeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat litterarum, nec habitus processus valeat per easdem; alias reo, si eum per ipsas fatigaverit, in expensis legitimis condemnandus. Reus quoque, si eodem durante iudicio, actorem sibi obnoxium dixerit reconventionis beneficio, vel conventionis, si litteras contra eum impetrare maluerit, de iure suo debet apud eosdem iudices experiri, nisi eos ut suspectos poterat recusare, simili poena, si contra fecerit, puniendus.

CANON IX.

Canone nono decernitur quod quando quis litigat cum aliquo possessore super dignitate, personatu, vel beneficio obtinendo, ob partis adversae contumaciam causa rei servandae, non est mittendus in illius possessionem, ne per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus, sed lite non contestata, ad finalem sententiam est procedendum.

CANON X.

Canone decimo statuitur ut Iudices positiones negativas, quae probari non possunt nisi per confessionem adversarii, admittere possint, si aequitate suadente, viderint expedire.

CANON XI.

Canone undecimo edicitur, ut Iudex recusatus statuat, arbitris electis, certum terminum ad cognoscendum de causa recusationis: quo termino elapso, recusatus procedat in causa principali.

CANON XII.

Canone duodecimo praescribitur ut excommunicatio in participantes cum excommunicatis lata, non teneat, nisi praemissa sit monitio.

CANON XIII.

Canone decimotertio statuitur ut administrator Ecclesiae novus, inventarium diligenter conficiat coram testibus, solvat debita Ecclesiae, nihil alienet; debita non contrahat, aut oppignoret absque solemnitate et evidenti Ecclesiae necessitate aut utilitate, singulisque annis administrationis rationem reddat.

CANON XIV.

Canone decimo quarto statuitur ut detur pro subsidio Imperii Constantinopolitani ex dignitatibus et a residentibus non integre medietas, a reliquis tertia pars proventuum ecclesiasticorum per deputatos Ecclesiae Romanae colligenda, exceptis tamen cruce signatis, a residentia legitime excusatis, et apud Cardinales et Praelatos romanos obsequia obeuntibus. Decernitur vero ut subsidium ferentes, gaudeant indulgentiis et privilegiis, queis Terrae Sanctae succurrentes fruuntur.

CANON XV.

Canone decimoquinto, edicitur ut Praelati, pro liberanda Terra Sancta, moneant populum sibi commissum ut in testamentis subsidium aliquod relinquat.

CANON XVI.

Canone decimo sexto iubetur, ut contra Tartarorum incursus muniantur terrae; de illorum motibus moneatur Sedes Apostolica, quo opportunis adversus eos subsidiis praesto esse queat.

CANON XVII.

Canone decimo septimo decernitur expeditio in Terram Sanctam, eadem fere ratione, quam Concilium Lateranense IV servavit.

Praeter istos Canones, a Binio editos, exstant plura decreta in sexto Decretalium, quae ab ipso Concilio eiusque Praeside Innocentio IV lata sunt, quorum summa est sequens 1) Archiepiscopus non potest sibi constituere Officiales in Dioecesibus suorum Suffraganeorum, ne quidem pro futuris causis ad eum per appellationem devolvendis; quamvis post interpositam apud ipsum appellationem, possit vices suas alicui in Dioecesi suffraganei existenti, delegare.

2) Qui fuit Advocatus vel Procurator in prima instantia, non potest in iudicio appellatorio esse testis. Neque indistincte appellanti deferatur iuramentum (quia praesumptio stat pro eo) nisi iudici ex circumstantiis aliud videatur.

3) Constituens, mandans, iuvans, recipiens aut protegens assassinum, ipso facto est excommunicatus, depositus ab officio et beneficio. Sit etiam cum bonis suis mundanis omnibus a toto Christiano populo perpetuo diffidatus, seu hostis declaratus, absque ulla alia excommunicationis, depositionis, aut diffidationis sententia.

4) Exempti ratione delicti, rei sitae, vel contractus initi in loco non exempto, ratione horum conveniri possunt coram loci illius Ordinario, non autem si delictum sit commissum, res litigiosa sita, aut contractus initus in loco exempto. Religiosi tamen exempti a loci Ordinario excommunicari, suspendi, aut interdici non possunt, nisi forsan sint in Prioratu, qui ordinario subiectus est.

5) Episcopi, ipsisque superiores Praelati, nullam suspensionem aut interdictum incurrunt, nisi expresse nominentur.

6) Archiepiscopus non relaxet censuras, a subditis suorum Suffraganeorum latas, nisi hoc habeat, ex consuetudine. Eius sententia generalis ligat tantum eius subditos. Censurae absque competenti monitione praemissa, sunt iniustae, sive in genere, sive in specie fuerint promulgatae. Episcopi non ferant censuras, nisi culpabiliter in mora satisfaciendi fuerint delinquentes. In integrum collegium vel universitatem non feratur sententia excommunicationis, ne innocentes irretiantur.

8) Cum omnes leges omniaque iura vim vi repellere, cunctisque se defendere permittant, Praelatus contra iniustum aggressorem suorum bonorum, temporali et spirituali gladio se potest tueri.

9) Si quis electionem aut provisionem impugnans ad Papam appellat, intra mensem tam ipse, quam reus, quorumque interest, vel per se, vel per Procuratorem iter romanum suscipiant. Si mense elapso parte una comparente, pars altera per 20 dies absit, procedatur in negotio. Si actor tunc non plene probarit, quod contra formam electionis obiicit, condemnandus est reo in expensas. Si autem non probet, quod contra personam obiicit, a beneficiis triennio sit suspensus: si autem interea in ea se ingesserit, ipso iure est iis perpetuo privatus. Haec tamen poena locum non habet, si manifestissimis constet documentis, quod ipsum a calumniae vitio causa probabilis et sufficiens excuset.

10) In civilibus non admittitur exceptio spoliationis, facta ab alio, quam ab actore; in criminalibus vero etiam facta a tertio; in utroque autem casu exceptio probari debet intra 15 dies, alias excipiens actori condemnatur in expensas, quas interim propter hoc fecerit. Agenti autem super rebus ecclesiasticis opponi non debet exceptio spoliationis in privatis rebus.

11) Si reus actori opponat exceptionem excommunicationis, huius speciem ac nomen debet exprimere, atque intra octo dies apertissimis documentis probare; alias

Iudex procedens in causa condemnat eum in expensas propter ipsam exceptionem factas. Si post rem iudicatam talis exceptio opponatur, exsecutionem impedit, licet sententia sit valida. Si autem actor publice esset excommunicatus, reo etiam non excipiente, repelli debet a Iudice.

12) Si Iudex contra conscientiam et contra iustitiam in gravamen partis quidquam fecerit per gratiam, vel per fraudes, ab executione officii per annum se noverit suspensum, et ad aestimationem litis parti laesae est condemnandus. Si durante suspensione se ingesserit divinis, erit irregularis, et potest a solo Papa cum eo dispensari, salvis aliis Constitutionibus, quae alias insuper poenas iniustis Iudicibus irrogant.

CONCILIUM OECUMENICUM QUARTUMDECIMUM

LUGDUNENSE II.

Recuperata anno 1261 a Graecis Constantinopoli, quam latini ad quinquaginta annos tenuerant, in id curam suam industriamque intendit Palaeologus, ut Imperium ab hostili incursu tutum praestaret, atque unionem utriusque Ecclesiae disrumperet. Quamobrem eiecto Patriarcha Latino, Arsenium in eius locum suffecerat in Ecclesia Constantinopolitana antistitem.

Nisi quod veritus deinde, ne qua crucigerorum militaris expeditio rursus in provincias suas irrumperet, (hanc enim Urbanus IV. Pont. Max. indixerat) Legatos ad ipsum misit, qui fidelitatem suam eidem testarentur ac restaurandae unionis cum latina Ecclesia desiderium exponerent. Alia etiam timoris causa Imperatoris animum angebat exinde dimanans, quod ipse Ioannem Lascarim minorem adhuc aetate, quem ad imperii regimen collegam adsciverat, oculis per summum nefas orbaverat, et in vincula coniecerat [1].

Urbanus IV. eius votis annuens, ad pacem ineundam atque unionem Ecclesiarum redintegrandam quatuor ex ordine S. Francisci viros Constantinopolim legaverat [2]. Verum cum intellexisset Imperatorem Palaeologum politicam

1 Cf. Pachym. *De Michaele et Andronico Palaeologis* L. I. Cap. 22. Lib II. C. 8. seqq. Lib. III. C. 10. seqq.

2 Sub haec tempora S. Thomas opus edidit contra *Errores Graecorum*. Cf. Pichler *Histor. sep. duar. Eccles. Orient. et Occid.*

pacem potius quam religiosam curare, mense maio an. 1264, iterum institit ut sacra expeditio compararetur.

Defuncto paulo post Urbano, Clemens IV eius successor de unione cum Ecclesia graeca pangenda agere iterum cum Palaeologo coepit. At cum cognovisset Nuntios Apostolicos limitem suae legationis praetergressos, quoddam unionis schema Constantinopoli probasse, quo Symbolum graecorum ut basis unionis constituebatur et quo spondebant in Generali Synodo examinanda esse ea, quibus Graeci a latinis dissidebant; Pontifex Symbolum fidei Romae concinnatum ad Imperatorem transmisit, quem Orientales acceptare deberent exposuitque simul fidem Ecclesiae utpote iam definitam, non egere novo Concilio. Promittebat tamen, unione peracta, se Concilium convocaturum ad eam magis magisque firmandam.

Imperator qui apparatum militarem a S. Ludovico et Carolo Andegavensi sub haec tempora instructum formidabat, ut impendentem a se procellam averteret, et aequos sibi Occidentis Principes haberet, alacrius concordiae atque unionis negotium cum Episcopis urgebat, Patriarcha quidem contumaciter obnitente, aliis vero Praesulibus plerisque assentientibus, maxime Ioanne Vecco Graecorum doctissimo.

Inter haec Gregorius X. ad summum pontificatum evectus, ad unionis negotium penitus conficiendum, Synodum oecumenicam indixit Lugduni ac praesens rexit an. 1274.

Convenere Cardinales 15. Patriarchae 2 latini, Archiepiscopi 60. Episcopi 500. Abbates 70. Praelati inferiores quamplures. Interfuerunt etiam Iacobus Aragoniae Rex et utriusque Imperatoris Rodulphi I. et Michaelis Palaeologi, Regum Galliae, Angliae, utriusque Siciliae aliorumque Principum legati.

Ad eamdem Synodum profectus S. Thomas Aquinas, in itinere ad superos migravit in Monasterio Fossae Novae Ord. Cisterc. aetatis suae anno 49; et S. Bonaventura, durante Concilio defunctus est.

Sessio prima habita est in Ecclesia S. Ioannis primo Rogationum die. Pontifex sub sacrificii tempus e conclavi descendit, claudentibus latera binis Cardinalibus diaconis ac Sedem Pontificiam in choro erectam ascendit, ut ibi sacris vestibus, Clero psallente, indueretur. Tum Cruce praeeunte, adornatum pulpitum conscendit et in solio consedit suo, inter duos Cardinales, quorum alter velut Presbyter assistebat, alter diaconi munere fungebatur. Consistentibus reliquis Patribus in suis sedibus, Pontifex formabat signum Crucis super Praesules in conspectu adstantes, atque orationem exorsus ex illo themate Evangelii « Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum » exposuit congregati Concilii causas, subsidium videlicet terrae sanctae, unionem Graecorum, et morum reformationem.

Eo temporis intervallo quod inter hanc primam et alteram Sessionem defluxit, vocati sunt Archiepiscopi cum uno Episcopo et Abbate uniuscuiusque provinciae, quos Pontifex seorsim in suum conclave ductos permovit ad decimam proventuum sacrorum sibi per sexennium pendendam, quod a festo S. Ioannis eiusdem anni facere ordirentur.

In Sessione secunda promulgatis sanctionibus, quae fidem spectant de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque ac de primatu Romani Pontificis [1], dimissi sunt Legati Col-

[1] Constitutio synodica de processione Spiritus Sancti sic habet « Fideli ac devota professione fatemur quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat. Hoc professa est, hactenus praedicavit et docuit, hoc firmiter tenet, praedicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et magistra: hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter ac Graecorum incommutabilis et vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis praemissae ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi; nos huiusmodi erroribus viam praecludere cupientes, sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes qui negare praesumpserint aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio, tamquam ex duobus principiis et non tamquam ex uno procedat. »

Professio fidei de primatu a Clemente IV praescripta et a Michaele Imp. in datis ad Concilium litteris expressa, huius tenoris est. « Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe sive vertice cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter et humi-

legiorum, Abbates Prioresque non infulati, exceptis illis, qui nominatim ad Concilium fuerant arcessiti. Caeteri quoque minores Praesules, infula insignes, dimissi sunt, ac sessioni III^{ae} dicta est dies, 28^{a} Maii, quae tamen locum habuit die 7 Junii.

Post Sessionem secundam accepit Pontifex litteras Hieronymi Asculani et Bongratii, qui e quatuor minoribus erant ante biennium Constantinopolim missis. Laetus admodum his de litteris, cunctos Praesules in templum S. Ioannis accivit, ubi S. Bonaventura de reconciliandis Ecclesiis sermonem habuit; exinde lectae sunt epistolae.

Die vero praecedente Sessionem tertiam in Consistorio habito coram Pontifice et Cardinalibus, dirempta quaestio inter duos Germanici throni competitores, Alphonsum Castellae Regem et Rodulphum Comitem Hasburgensem. Legatos uterque pro se ad Pontificem miserat: Pontifex thronum Rodulfo adiudicavit.

Sessio tertia habebatur cum Rex Aragoniae Concilium reliquit. In hac promulgatae sunt duodecim Constitutiones de eligendis Episcopis et initiandis Clericis. Post haec Pontifex Patribus facultatem dedit Lugduno usque ad sexies mille passus recedendi. Futurae sessioni diem non dixit ob incertum Graecorum adventum.

Sessione quarta admittuntur Graecorum Legati ad Concilium et ad dexteram Pontificis post Cardinales collocati sunt. Tum Pontifex, expositis causis ob quas coactum fuerat Concilium, Praesulibus declaravit, Graecos praeter omnem expectationem sponte sua ad Ecclesiae Romanae sinum

liter recognoscit, et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones suo debent iudicio definiri: ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest iudicium recurri, et eidem omnes Ecclesiae subiectae ipsarum Praelati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic plenitudo potestatis consistit quod Ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas et Patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa, tum in Generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva. » Et infra « Primatum quoque eiusdem S. R. Ecclesiae prout in praemissa serie continetur, ad ipsius sanctae Ecclesiae obedientiam spontaneam venientes, confitemur et recognoscimus, acceptamus et sponte suscipimus. »

rediisse, nullà temporalis commodi spe aut cupiditate permotos. Exinde recitatae sunt litterae Imperatoris, quibus fidei professionem Ecclesiae Romanae, iam antea ipsi a Clemente IV transmissam, recipiebat eique se firmiter inhaesurum spondebat. Profitebatur insuper Romani Pontificis in universam Ecclesiam primatum, ius appellationis ad Apostolicam Sedem cognoscebat, postulabat tamen ut Ecclesia Graeca symbolum recitare ea forma qua erat ante schismatis ortum, utque suos ritus servare posset. His peractis, cantatus est hymnus Ambrosianus ac recitatum symbolum fidei. Eadem ratione concepta erat epistola Andronici Principis Imperialis, atque illa Archiepiscoporum Ephesini, Heracleensis in Thracia, Chalcedonensis, Tyanaei, Iconiensis, Naupactaei, Atheniensis, qui suo et cleri nomine ad Ecclesiae unitatem reditum profitebantur. Postero die Pontifex Cardinalibus proposuit legem pro electione Romani Pontificis, si eum mori contigerit. Haec Constitutio dissidiis inter Cardinales et Gregorium fomitem praebuit, vicit tamen constantia Pontificis omnesque in eam consenserunt.

Sessione quinta excipiuntur legati Tartarorum Principis ab eodem missi ad foedus contra Turcas ineundum; promulgantur quatuordecim reliquae constitutiones tum ad fidem, tum ad disciplinam spectantes, ac solemnes exsequiae S. Bonaventurae persolvuntur, quae omnium Ordinum frequentia et lacrymis honestatae sunt.

Sessione sexta editis constitutionibus duabus, altera de Religiosis Ordinibus, altera quae interiit, Pontifex finem Concilio imponit, felicem utriusque Ecclesiae unionem gratulatus, ac Praelatos ad zelum, vigilantiam ac disciplinam ecclesiasticam servandam cohortatus est.

Legati Graecorum, cum muneribus et epistolis ad Imperatorem et Metropolitanos, dimissi una cum Abbate Cassinensi Pontificis nuntio, ubi Constantinopolim advenerunt atque exitum legationis et perfectae unionis exposuerunt, maxime gaudio affectus est Imperator, praesertim cum

se ab universo Concilio Imperatorem agnitum intellexit, et Pontificis studium agnovit ne ab Occidentalibus Principibus Orientis Imperium invadatur. Atque ut serio negotium hoc actum ostenderet illudque in posterum firmaret, convocata Synodo, acta Concilii Lugdunensis eidem communicavit. Constitutiones huius Concilii Bonifacius VIII Libro VI. Decretalium inseruit. Harum summa est:

Constitutio I. — Definitur Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere tamquam ab uno principio, unica spiratione.

Constitutio II. — De electione Summi Pontificis agitur, ac renovatur Decretum Concilii Lateranensis III additurque ut Cardinales in ea civitate, in qua Papa obiit praesentes, per decem tantum dies expectent absentes; quibus elapsis, qui praesentes sunt in palatium Pontificis conveniant, unico omnes conclavi inclusi, nullo interposito pariete vel velamine, in communi habitent. Singuli uno, vel ad summum duobus qui sibi deserviant contenti, abscisso quavis cum externis commercio. Si intra tres dies post ingressum non fuerit Ecclesiae provisum, per quinque subsequentes dies unum tantum ferculum iis apponatur tam in prandio, quam in coena; quibus elapsis quin electio fuerit perpetrata, pane dumtaxat, vino et aqua deinceps sustententur, donec fiat provisio.

Constitutio III. — Qui electionem vel postulationem ecclesiasticam vult impugnare, vel contra illam appellare, omnia, quae vel ratione formae electionis, vel contra personam electi vult opponere, scripto instrumento expresse inserat, simulque iureiurando confirmet se vera censere et posse probare, quae exaravit. Non audiendus opponens super iis quae non sunt expressa, nisi iuret, novas deductiones fuisse postea a se detectas.

Constitutio IV. — Electus in administrationem dignitatis, nulla ratione se ingerat ante confirmationem. Alias iure quaesito ipso facto est privatus.

Constitutio V. — Electio quamprimum intimetur electo. Hic vero, nisi a Superiore licentia sit petenda, intra mensem a tempore praesentationis consentiat, alias omni iure, ipso facto, est privatus. Si post consensum praestitum intra tres menses non petat confirmationem, electio viribus vacuetur.

Constitutio VI. — Qui suffragium suum indigno scienter dant, non privantur eligendi potestate nisi ex votis eorum communis electio subsequatur.

Constitutio VII. — Electione peracta et consensu praestito, nemini licet amplius electionem impugnare, nisi uret, defectum, primum postea innotuisse.

Constitutio VIII. — Si quis per duplo maiora suffragia sit electus, electio non potest amplius a minori parte impugnari praetextu minoris meriti, zeli, aut auctoritatis, nisi ostendatur, votum fuisse nullum ipso iure.

Constitutio IX. — Temeraria appellantium audacia et frequentia prohibetur.

Constitutio X. — Si quis electo, aut postulato seu alias promovendo ad aliquam dignitatem, defectum obiiciat, ante omnia id examinandum erit. Si defectus non subsit, opponens puniatur ac si in probatione omnium defecisset.

Constitutio XI. — Qui alios gravant propter negatum in electione suffragium, ipso facto sunt excommunicati.

Constitutio XII. — Usurpatores Regaliarum, bonorum vel aliorum iurium ecclesiasticorum, ipso facto subiacent excommunicationi. Clerici qui pro suo officio talia patrantibus non obsistunt, privantur pro tempore quo praemissa sine debita contradictione permiserint proventibus Ecclesiarum. Qui vero ex fundatione vel antiqua consuetudine iura sibi huiusmodi vindicant illis non abutantur.

Constitutio XIII. — Nullus fiat parochus ante 25 aetatis annum (secus facta promotio est irrita) et a scientia et moribus sit commendatus: resideat in parochia. Intra annum fiat Sacerdos, quod si non faciat, nulla praemissa moni-

tione ecclesia sit privatus. Circa residentiam vero potest Ordinarius ex rationabili causa ad tempus dispensare.

Constitutio XIV. — Nemo Parochialem Ecclesiam alicui commendare praesumat, nisi in aetate legitima et sacerdotio sit constitutus. Nec tali nisi unam et propter evidentem Ecclesiae utilitatem aut necessitatem, et ad sex menses tantum, secus facta collatio sit irrita ipso iure.

Constitutio XV. — Scienter ordinans Clericum alienae Ecclesiae, per annum a collatione ordinum est suspensus, et postquam eius suspensio fuerit notoria, poterunt Clerici, absque eius licentia, a vicinis Episcopis ordinari.

Constitutio XVI. — Bigami omni privilegio clericali sunt nudati, et foro laicali subiecti, consuetudine contraria non obstante, et sub anathemate ipsis prohibetur gestare tonsuram aut habitum clericalem.

Constitutio XVII. — Canonici non cessent a divinis, nisi cessationis causam authentico instrumento exhibeant, alias fructus non faciunt suos. Uti etiam, si causa expressa, non fuerit inventa canonica.

Constitutio XVIII. — Plures dignitates vel beneficia curata habentes, aut cum dignitate curatum beneficium, ad exhibendam dispensationem ab Ordinario compellantur. Si nullam habeant dispensationem beneficia, quae sine dispensatione possident, aliis conferantur. Si de valore dispensationis dubitetur, consulatur Sedes Apostolica.

Constitutio XIX. — Advocati ecclesiastici et Procuratores praestent singulis annis iuramentum se in omnibus causis ecclesiasticis et aliis in eodem foro tractandis, omni virtute sua omnique ope id quod verum et iustum existimaverint suis clientulis praestare curaturos, et in quacumque parte iudicii deprehenderint improbam fore causam, quam in sua fide receperant, non amplius eidem patrocinaturos.

Constitutio XX. — Absolutio a censuris per vim aut metum extorta irrita declaratur atque extorquentes excommunicationi subiiciuntur.

Constitutio XXI. — Si Pontifex beneficia in curia romana vacantia, intra mensem non contulerit, ad ordinarios collatores ius redit ea conferendi.

Constitutio XXII. — Res ecclesiasticae non alienentur a Praelatis absque Capituli consensu et Sedis Apostolicae licentia speciali. Contractus huiusmodi sint nulli et ne quidem praescribendi conditionem pariant.

Constitutio XXIII. — Ne quis novum Ordinem religiosum instituat: ordines Mendicantium post Concilium Lateranense IV instituti et nec dum confirmati abrogantur.

Constitutio XXIV. — Renovatur Constitutio Innocentii IV in moderandis expensis in visitationibus Ecclesiarum. Non exigantur aut acceptentur pecuniae aut munera sub poena duplum quod receptum est restituendi.

Constitutio XXV. — Omnis profana negotiatio absit ab Ecclesiis.

Constitutio XXVI. — Renovantur prohibitiones usurarum. Nemo usurariis habitationem concedat.

Constitutio XXVII. — Usurarii a sepultura ecclesiastica arceantur, licet in testamento restitutionem mandaverint, nisi restitutio reipsa facta sit.

Constitutio XXVIII. — Pignorationes quas *Repressalias* vocant, omnino prohibentur, tamquam aequitati naturali et legibus etiam civilibus contrariae si iis unus prae altero gravetur.

Constitutio XXIX. — Excommunicatio lata in communicantes cum excommunicatis non valet, si non prius fuerint canonice moniti, et aliquot dierum intervallo.

Constitutio XXX. — Relaxationis beneficium ad cautelam in generali interdicto locum non habet.

Constitutio XXXI. — Fertur sententia excommunicationis in omnes, qui vel personas vel bona eorum gravant, a quibus vel quorum opera fuerunt excommunicati.

CONCILIUM OECUMENICUM QUINTUMDECIMUM

VIENNENSE

Clemens V. Pont. Max. Concilium hoc inchoavit eique praesedit Viennae Allobrogum in Delphinatu die 16 octob. an. 1311.

Convocandi autem non una fuit causa, siquidem praeter controversiam de Templariis, qui a piissimo instituto degeneres, eo impietatis devenerant, ut Christum ipsum negarent; late grassabantur haereses Beguardorum et Beguinarum, Fraticellorum ac Petri Ioannis Olivae. Praeterea tum ecclesiasticae disciplinae collapsae, tum periclitanti Palaestinae prospiciendum erat.

Concilium septem circiter mensium spatio protractum est, ac tribus sessionibus absolutum. Praelatorum numerum determinare, qui praesentes adfuere, difficile sane est, dum enim nonnulli Scriptores ter centum Episcopos, praeter inferiores Clericos, adfuisse tradunt, sunt alii vicissim, qui centum quatuordecim asserunt consedisse. Adstiterunt Philippus Pulcher rex Galliae cum tribus filiis et Carolo Valesio fratre, Eduardus II Angliae et Iacobus II Aragoniae Reges.

In Sessione prima Clemens Pontifex initio ducto ex Evangelii themate « In concilio iustorum » causas congregati Concilii exponit, ac benedictione impertita convocatos Patres dimittit.

Gravia interim negotia, conventibus privatis post primam sessionem agitata sunt. Praeceperat Pontifex singulis Episcopis, ut in Concilium afferrent commentarios de iis, quae decernenda in Ecclesiae bonum viderentur. Superest autem adhuc consultatio cuiusdam Galliarum Antistitis, ex qua colligi potest, quibus de rebus in conventibus illis actum fuerit [1]. Porro Praesul ille, postquam ostendit quantum rei christianae interesset Templariorum Ordinis abolitio, neglectis exceptionibus, quae in eius defensionem adduci possent, exiguam spem esse ostendit fausti exitus belli sacri ob Principum discordiam, tum abusibus, qui tunc temporis in Ecclesia irrepserant, notatis quoad dierum festorum observantiam, quoad administrationem ecclesiarum parochialium, ex neglectis qualitatibus in ordinatione Clericorum dimanantes, item quoad censurarum frequentiam ac beneficiorum cumulum, vehementer hortatur, ut Ecclesiae disciplina reformetur. Tandem sermonem iniicit de exemptione Regularium tollenda eisque episcopali iurisdictioni subiiciendis.

Quod attinet ad Templariorum causam, lecta sunt acta cognitionis ac diligenter examinata a Praelatis illis, quos Pontifex Max. ex omnibus nationibus selegerat, ut cum ipso et Cardinalibus iudicarent, atque ita datus est locus audiendi defensores Equitum. Maxima pars Cardinalium ac fere omnes Praelati opinati sunt, consentaneum esse ut Ordini ipsi potestas fieret seipsum defendendi, quum satis esse non viderentur hactenus collecta contra Templarios argumenta: alii vero Antistites in contrariam sententiam abeuntes, pro immediata Ordinis suppressione stabant eo quod defensio novas causae dilationes ac non leve sacrae expeditioni detrimentum afferret.

Haesit Pontifex per aliquot menses ancipiti sententia distractus, at, instante Philippo Pulchro, Templariorum Ordinem abolevit non per modum definitivae sententiae

1 Cf. Bzovius *Contin. Ann. Baronii* ad an. 1311, 2. seqq.

sed per modum *provisionis* seu *Ordinationis Apostolicae*[1].

In Sessione secunda Clemens V Bullam suppressionis non multis abhinc annis repertam, quae incipit « Vox Clamantis » promulgavit.

Hanc, alia subsecuta est quae incipit « Ad Providam » qua de Templariorum bonis statutum est ut ea devolverentur ad Hospitalarios S. Ioannis Hierosolymitani, illis exceptis quae in Castellis Aragoniae, Lusitaniae, et Maioricae inveniebantur ad harum provinciarum tutelam contra Mahumetanos impendendis.

In Sessione tertia Pontifex Bullam edidit incipientem « Ad Certitudinem » per quam quosdam ex Templariis suo reservavit iudicio, reliquis Concilio cuiusvis provinciae commissis. Cavebatur insuper, ut qui insontes iudicati essent, decenter pro suo statu ex Ordinis proventibus alerentur; qui errata sua fassi essent, leniter tractarentur; qui a poenitentia abhorrerent, quique in culpam essent relapsi, severas darent poenas; tormenta sine confessione passi, detinerentur seorsum secundum Canones iudicandi; nondum vero interrogati, quippe vel non comprehensi, vel fugitivi, publice iubebantur intra anni spatium se sistere Episcopis in Concilio provinciali iudicandos, qui vero hoc non facerent, excommunicabantur, et si per annum sub excommunicatione manerent, ut haeretici haberi debebant.

Post haec Pontifex perorat de ferendis Palaestinae suppetiis, ac Philippus Rex spondet se cum filiis et fratribus aliisque viris principibus, crucem suscepturum, qui tamen obligatam fidem haud praestitit. Galliae vero Praesules eidem expeditioni decimas ecclesiasticorum proventuum in sexennium addicunt.

1 Damnati sunt Templarii post duorum millium testium adversus eos depositionem, post factam tum in Gallia tum in Aragonia, tum in Anglia tum in Italia per iudices ecclesiasticos et civiles inquisitionem, post praecipuorum Ordinis professorum confessionem, ac proinde aequissima fuit in eum Ordinem lata sententia.

Falsum vero est, quod Philippus Pulcher promoverit Templariorum Ordinis abolitionem ut eorum bonis potiretur, siquidem omnium bonorum fruitio S. Ioannis Hierosolymitani equitibus concessa est.

Componitur subinde dissidium, quod inter Bonifacium VIII et Philippum Pulchrum intercesserat. Philippus quidem a Clemente petierat, ut Acta, decreta, ac memoria ipsa Bonifacii, quem haeresis falso accusaverat, abolerentur. Negavit tamen Concilium se hoc futurum, quin imo eumdem Bonifacium tamquam probum, integrum et catholicum Pontificem, contra Philippi calumnias strenue defendit.

Editae tandem sunt ad damnationem haereticorum, ac disciplinae ecclesiasticae reformationem variae Constitutiones, quas Corpori Iuris Canonici sub Clementinarum nomine, inseruit Ioannes XXII.

Cum vero perdifficile sit distinguere in Clementinis ipsis, quaenam Constitutiones in Concilio fuerint publicatae, quaenam vero solo Cardinalium consilio, eo vel maxime quod in singulis titulis inveniatur additum « in Concilio Viennensi » hinc eas tantum heic subiicimus contractas, quae explicite titulum praeferunt « sacro approbante Concilio. » Quae autem hac formula insignitae sunt novemdecim numerantur.

Constitutio I. — Contra Ioannem Petrum Oliva definit, unicum Dei filium in essentia Dei aeternaliter subsistentem verum corpus humanum atque animam intellectivam assumpsisse de Virgine, atque in ea natura passum, et iam mortuum lancea fuisse perforatum. Damnat haereseos qui dixerit, animam rationalem non esse formam humani corporis. Approbat denique tamquam probabiliorem ex dictis Sanctorum ac Doctorum sententiam, quae asserit « tam parvulis quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam et virtutes quoad habitum. »

Petrus Ioannes Olivi professione fuit Minorita, patria Aquitanus. Caeco in Regulam S. Francisci zelo docuit, eam esse proprie ac vere quam Christus ipse servavit et Apostolis imposuit atque in Evangelio fecit conscribi. Plures alios errores vulgavit in suo in Apocalypsim Commentario, inter quos praecipui sunt 1) quod anima non sit corporis forma 2) quod Christus adhuc vivens lancea transverberatus est, 3) quod divina substantia est genita et generans 4) quod in Baptismo non infundantur gratia et virtutes.

Constitutio II. — Praecipit observari Bullam Bonifacii VIII, quae incipit *Super Cathedram* quam Benedictus XI quoad puncta in quibus FF. Praedicatores et Minores videbantur gravati, abrogaverat. Iamvero in Bulla Bonifacii Religiosis Praedicatoribus et Minoribus conceditur potestas praedicandi in suis Ecclesiis et plateis publicis, hora tamen excepta, qua locorum Praelati vel per se, vel per alios, praedicare voluerint, nisi ipsi Praelati illa etiam hora praedicandi specialem licentiam ipsis dederint. Prohibetur insuper, ne praedicti Religiosi praedicent in parochiis, nisi invitati, aut obtenta licentia ab Episcopo aut Praelato loci. Iniungitur Superioribus Praedicatorum et Minorum, ut a Praelato loci facultatem petant exponendi suos religiosos ad audiendas confessiones, qua obtenta, aptos deputent et Praelato sistant; quod si Praelatus facultatem dare recusaverit, hanc ipse Pontifex ex plenitudine apostolicae potestatis concedit. Denique statuitur in eadem Bulla ut eorum Ordinum Religiosi, in Ecclesiis vel locis suis sepelire possint omnes; qui in iis sepulturam elegerint, soluta tamen Ecclesiae parochiali *quarta*, seu canonica portione exsequiarum, omniumque, quae ratione funeris et sepulturae, fratribus obvenerunt, non obstantibus quibuscumque privilegiis aut consuetudinibus contrariis.

Constitutio III. — Vetat eos qui ex ordine mendicantium etiam auctoritate apostolica ad alios Ordines transeunt vel transiverunt, inibi admitti ad ius suffragii, aut ad aliud officium vel regimen animarum. Declarat vero hanc dispositionem non extendi ad illorum mendicantium Ordines, quorum professoribus a S. Sede concessa est licentia generalis, transeundi ad alios Ordines approbatos.

Constitutio IV. — Statuit ut singula monialium Monasteria singulis annis visitentur, exempta, scilicet quae soli apostolicae Sedi subiiciuntur, ab Ordinario auctoritate apo-

stolica, non exempta ordinaria auctoritate; alia vero exempta per alios quibus subsunt.

Statuitur insuper ut quae ad regimen assumptae sunt in Monasteriis, in quibus Abbatissae solent benedici intra annum a tempore suae confirmationis computandum, munus benedictionis suscipiant.

Constitutio V. — Prohibet et in Dei Ecclesia penitus abolet statum Beguinarum fanatismo Evangelii perpetui abreptarum, eos vero qui statum ipsum sequerentur et assumerent eorumque fautores ipso facto excommunicationis sententia perstringit.

Constitutio VI. — Beguardorum et Beguinarum errores damnantur.

Constitutio VII. — Rectoribus xenodochiorum, leprosariarum, eleemosynariarum seu hospitalium bona commendatur administratio et locorum Ordinariis iniungitur, ut eorum corrigant negligentiam ac defectum, non obstante exemptionis privilegio. Decernitur ut nullus ex his locis tamquam beneficium conferatur clericis saecularibus, sed eorum gubernatio viris providis, idoneis et boni testimonii committatur, qui ad instar tutorum et curatorum iuramentum praestare, inventaria conficere et singulis annis rationem reddere tenentur. Haec vero ad hospitalia militarium Ordinum aut religiosorum non extenduntur. Statuitur denique ut sicubi parochiales rectores consueverint in illis locis celebrare et administrare sacramenta, talis consuetudo servetur.

Constitutio VIII. — Statuit ne praesentatus aliquis per quamcumque personam ecclesiasticam admittatur, nisi intra certum terminum competentem per dioecesanos ipsos praesentantibus praefigendum, ipsi praesentato fuerit coram eis assignata portio congrua de proventibus Ecclesiae; quod si praesentantes neglexerint, dioecesani debent eum admittere et ipsi assignationem huiusmodi facere. Excipiuntur ab hac dispositione prioratus et aliae ecclesiae tam regularium quam saecularium, in quibus religiosi vel

alii ad quos eorum redditus pertinere noscuntur, praedicta onera ferre consueverunt.

Constitutio IX. — Iubentur illi ad quos pertinet, hisque incuriosis vel deficientibus, locorum Ordinarii, corrigere et censuris etiam compescere abusum clericorum, qui vel psalmodiam negligentes vel recitationi officii vana, profana, et inhonesta intermiscentes colloquia, vel tarde ad chorum convenientes ac alia peragentes in Ecclesiis ac coemeteriis modestiae ordinis clericalis contraria, scandalum populo exhibent.

Constitutio X. — Permittitur commensalibus domesticis S. R. E. Cardinalium ac quorumcumque Pontificum, ut licite idipsum quod hi recitant officium, possint recitare.

Constitutio XI. — Statuitur ut in scholis et Universitatibus Romae, Parisiis, Oxonii, Salmanticae et Bononiae constituantur catholici Magistri, qui publice doceant línguam hebraicam, chaldaicam et arabicam.

Constitutio XII. — Iubentur Principes catholici sub quorum dominio morantur Saraceni, ut istis prohibeant publicam invocationem seu professionem nominis Mahumeti eorumque ad eius sepulchrum peregrinationes.

Constitutio XIII. et XIV. — Nonnulla statuuntur ad inquisitionis officium rite peragendum.

Constitutio XV. — Sub excommunicatione prohibetur ne ulla Communitas vel officialis, statutum condat, quo usurae ut licitae permittantur. Foeneratores etiam censuris compellendos esse decernit ad exhibendos rationum codices; statuit denique ut si quis in illum errorem incideret, ut pertinaciter affirmare praesumat exercere usuras non esse peccatum, veluti haeretica labe infectus puniatur.

Constitutio XVI. — Archiepiscopo, per loca quamvis exempta suae provinciae transeunti, aut ad ea forsan declinanti conceditur ut crucis ante se delatae privilegio uti possit, benedicat populo, divina officia privatim vel pubilce ibidem audiat et ea etiam pontificali ritu celebret, vel faciat coram se sine pontificali solemnitate celebrari.

Similiter conceditur Episcopo, ut in locis iisdem suae dioecesis eadem faciat, cavetur tamen ne, praetextu huiusmodi concessionis, in locis ipsis exemptis ullam aliam iurisdictionem idem Episcopus et Archiepiscopus exerceant.

Constitutio XVII. — Excommunicantur aliisque poenis afficiuntur in his casibus in quibus excommunicationem per iam editos canones non subirent, qui suadente diabolo, quemvis Pontificem iniuriose, vel temere percusserint, aut ceperint, seu banniverint, vel haec mandaverint fieri, aut ab aliis facta rata habuerint, vel socii fuerint in iis faciendis aut consilium et favorem dederint.

Constitutio XVIII. — Decernitur contra extorquentes beneficiorum abdicationes, ut ii praeter sententiam Canonis, quam facientes et fieri procurantes incurrere dignoscuntur, a perceptione fructuum ecclesiarum suarum, si fuerint praelati, triennio prohibeantur, si vero inferiores, eo ipso obtentis beneficiis priventur. Abdicationes vero huiusmodi licet a Praelatis abdicantium receptae aut ratae habitae fuerint, nullius firmitatis declarantur.

Constitutio XIX. — Qui locis interdicto subiectis quemlibet divina celebrare quomodolibet cogunt vel excommunicationis aut interdicti vinculo ligatos evocant ad officia eadem audienda, excommunicantur.

Ad hoc etiam Concilium referenda est Constitutio « Exivi de Paradiso » cuius finis fuit ad concordiam reducere duas partes, in quas scissus fuerat Ordo S. Francisci, et quarum una *spiritualium* altera *Conventualium* nomen assumpserat. Post Petrum Ioannem Oliva, plures ex Ordine S. Francisci, existimantes Ordinem ipsum a regula fundatoris descivisse, praesertim quoad habitum et paupertatem, a Caelestino V impetraverant facultatem ab eo secedendi ac specialem congregationem constituendi titulo Eremitarum Papae Caelestini. Et quamvis Bonifacius VIII eos obligasset ad ingrediendum iterum Ordinem,

plures tamen, Bonifacio defuncto, separati adhuc perstiterant propriumque habitum et Generalem Superiorem habebant. Hisce dissidiis e medio tollendis, Clemens V authenticam interpretationem regulae S. Francisci, Constitutione superius citata exhibuit.

Praeter haec Fleury aliique historici putant, Synodum Viennensem confirmasse etiam Festum Corporis Christi iam ab Urbano IV institutum, at perperam. Constitutio enim Clementina, cui praedicti auctores innituntur, clare edicit, Pontificem eam edidisse postquam cum Cardinalibus tantum deliberaverat, non vero in ipso Concilio. Falsum pariter est in eodem Concilio Aloisium filium Caroli II Regis Neapolitani, qui ordinem S. Francisci ingressus ac deinde Episcopus Tolosanus renunciatus fuerat, inter Sanctos fuisse cooptatum.

Postquam Concilium Viennense varias gratias ac privilegia pluribus Galliae Episcopis concessisset, finem habuit die 6 maii an. 1312.

CONCILIUM CONSTANTIENSE

Cum Pisani Concilii sententiae non acquiescerent Benedictus XIII et Gregorius XII, cumque Alexandro V post decimum pontificatus mensem Bononiae defuncto omnium fere Cardinalium consensu suffectus esset die 17 maii an. 1410 Balthassar Cossa, qui nomen Ioannis XXIII suscepit, aucto Pontificum numero, schisma etiam increverat.

Hinc Sigismundus Bohemiae atque Hungariae rex, ad unitatem Ecclesiae reducendam, ad errores in Bohemia potissimum grassantes compescendos ac simoniacam labem comprimendam, vehementer hortatus est Ioannem Pontificem, ut generale Concilium iam Romae ab ipso coactum, in alia civitate convocaret. Annuit Ioannes Sigismundi optatis ac Legatos pontificios Cardinales Chalant et Zabarella cum Emmanuele Chrysolaras ad ipsum misit, qui rege instante, animum induxere ut Constantiam civitatem eligerent, etsi Pontificis mens esset Concilium in urbe non subiecta dominio Sigismundi congregare. Sigismundus ipse ut aditum repugnandi praecluderet Ioanni, hoc statim christiano Orbi nuntiavit, simulque litteras invitationis dedit Gregorio XII, Benedicto XIII et Galliarum Regi. Pontifex vero die 9 dec. an. 1413 convocationis Bullam edidit ac die 5 nov. sequentis anni Concilium in cathedrali ecclesia Constantiae inchoatum est.

Convenerunt Patres fere mille, in quibus quatuor Patriarchae, ter centum Episcopi cum ipso Sigismundo et Ioanne Pontifice, qui primis duabus sessionibus praesedit, tertiae vero Card. Petrus de Alliaco, quartae Card. Iordanus de Ursinis, reliquis Card. Ioannes Vivariensis praefuerunt, ultimis Martinus V.

In Sessione prima (die 16 nov.) post Ioannis Pontificis allocutionem, qua evolvens textum Zachariae (VIII. 16) « Loquimini veritatem » Patres exhortatus est ad Ecclesiae bonum ac pacem procurandam, Cardinalis Zabarella Bullam convocationis Concilii perlegit ac novum Pontificis Decretum quo decernebatur, ut quamdiu Synodus haberi pergeret, qualibet feria IV Missa de Spiritu Sancto singulis in Ecclesiis celebraretur. Exinde decretum Concilii Toletani circa ordinem servandum confirmatur ac officiales eliguntur.

Inter hanc primam et sequentem sessionem, Ioannes Hus custodiae traditur, facto eius causae initio. Excipiuntur Legati Gregorii XII qui asserunt, Gregorium pontificatu cessurum, dummodo Ioannes non praesideret Sessioni qua cessio proclamaretur, et tum ipse tum Petrus de Luna se abdicarent. Decernitur negotiorum tractatio distributa in quatuor nationes, italam scilicet, gallicam, germanicam, et anglicam, quibus postmodum accessit quinta hispanica, ea forma ut in congregationibus primum singulae statuerent, dein omnes collectae convenirent, demum in Sessione publica omnibus placita sancirent. Interim libellus contra Ioannem XXIII in quo de gravibus accusatur criminibus quatuor nationibus porrigitur, quo intellecto, Ioannes se abdicaturum promittit ac formula cessionis componitur.

Sessione secunda (2 mart. 1415) Ioannes legit formulam, qua se abdicaturum spondet et iurat ad quietem totius populi christiani, quando Petrus de Luna Benedictus XIII et Angelus de Corrario Gregorius XII in suis obedientiis nuncupati, pontificatu quem sibi tribuebant,

simpliciter cedant. Qua de re Imperator pedes Ioannis deosculatus solemnes gratias egit.

Post haec in Congregatione habita die 4 martii, Legati Benedicti XIII et Regis Aragoniae, Cardinales et Praesules enixe postulant a Sigismundo, ut quamprimum Nicaeam petat, ut ibi conferat cum Benedicto et Ferdinando Aragoniae Rege qui ad eumdem finem Villamfrancam se conferret. Annuit Imperator. Interim Ioannes die 7 martii Bullam edit « Pacis Bonum » qua promissiones a se factas solemniter evulgat. Verum cum in aliis congregationibus de novo Ecclesiae capite eligendo agi intellexisset Ioannes, mutatis vestibus clam elabitur Constantia Schaffusam, protegente eius fugam Friderico Austriae Duce. Ut autem invidiam quam apud omnes contraxerat a se removeret, scriptis litteris ad Sigismundum confirmavit se praestiturum ea quae haud ita pridem spoponderat.

Ut primum nuntius evasionis Pontificis propagatus est, incredibilis omnium animos stupor et confusio incessit. Cum Concilium continuari non posse videretur, multi iam discedebant, alii, veriti ne populus direptionem aggrederetur, domi se clauserant. At Sigismundus quieti publicae prospexit, convocatisque legatis quatuor nationum et in privato conventu principibus Germaniae, protecturum se Patres congregatos edixit, omnesque cohortatus est ad perseverantiam.

Tum missi sunt legati ad Ioannem ut eius mentem explorarent eique reditum suaderent, quibus ipse reposuit, non timore aliquo impulsum se Constantia recessisse, sed insalubritate aeris, seque paratum esse ad petendam cum Sigismundo Nicaeam, ut in restituenda Ecclesiae pace sedulam ibi operam impenderet.

Sessione tertia cui duo tantum Cardinales intersunt ac septuaginta praelati cum Sigismundo, lecti sunt quinque articuli et probati quibus decernebatur 1) Synodum rite et iuste convocatam atque inchoatam Constantiae. 2) Papae discessum eam non dissolvisse, nec ab eodem 3) posse dis-

solvi ante extinctionem schismatis et reformationem Ecclesiae. 4) Non posse Synodum transferri nisi gravi de causa et intercedente Concilii consensu. 5) Non licere Praelatis ab ea discedere ante finem, sine gravi causa et Concilii ipsius consensu.

In Sessione quarta cui praesedit Card. Ursinus, edito decreto declaratur, Concilium generale immediate a Christo habere potestatem, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiam papalis exsistat, obedire teneatur in his, quae pertinent ad fidem, ad exstirpationem schismatis, ad reformationem Ecclesiae. Declaratur insuper, Ioannem non posse avocare sine Patrum consensu officiales Curiae romanae, quorum absentia Concilii dissolutionem secum ferre vel eiusdem iura laedere posset. Denique irritas esse poenas omnes post Ioannis discessum inflictas congregatis Patribus vel aliis Concilio adhaerentibus.

Interim Ioannes ex Scaffusa Laufenburgum digreditur, nullius valoris declarat concessiones factas Constantiae, ab ipso quippe extortas, persistit, tamen in promissione obligatam fidem praestandi. Plures Cardinales et officiales Curiae Constantia discedere ac Pontificem sequi constituunt.

Sessione quinta leguntur articuli sessionis antecedentis ita tamen ut in primo additum sit « quoad reformationem Ecclesiae *in capite et membris.* » Additur articulus quem in quarta Sessione reiecerant Patres, cuius vi poenae Romano Pontifici intentabantur, si obedire Constantiensi vel alii Concilio generali legitime convocato, detrectaret. Articulus tertius et quartus congruunt cum secundo et tertio praecedentis sessionis, quibus agebatur de prohibendo Pontifice, quominus officiales Curiae inde avocaret, deque nullitate poenarum, quas ipse Patribus Concilii et Concilio adhaerentibus indixerat. Tandem Articulus quintus statuit, Ioannem et Concilii Patres plena libertate Constantiae polluisse et pollere.

Subinde Episcopus Posnaniensis perlegit sequentes articulos relate ad errores Wicleffii et Hussii 1) Consilium

doctorum theologiae ac iuris canonici ad hunc effectum collectum decernit confirmandam sententiam in Concilio Romano latam (an. 1412) contra libros et scripta Wicleffii eaque igni tradenda. 2) Examen doctrinae Hussii eiusque asseclarum in fide, committatur Cardinalibus d'Ailly et Filastre, quibus adsistet Episcopus Dolensis et Abbas de Cistello. 3) Consilium ipsum decernet quomodo procedendum contra memoriam Wicleffii et an conveniat eius ossa exhumare. 4) Ratio habebitur censurarum quae latae sunt ab Universitate Parisiensi et Pragensi contra nonnullas Wicleffii propositiones.

Tandem Patres statuerunt, omnibus Regibus ac Principibus christianis, Comunitatibus item ac Universitatibus relationem mittendam, qua edocerentur de progressu negotiorum, quae, Constantiae agebantur, de fuga Pontificis, deque statu transactionis cum ipso initae.

Post haec confirmatur decretum, quo vetabatur discessio a Concilio sine debita licentia.

Sessione sexta de Ioannis abdicatione agitur et approbatur formula, qua ipse semet obstringeret ad novos procuratores nominandos, ea lege ut ex his duo sufficerent ad validam abdicationem ipsius nomine faciendam, etsi alii renuerent, eidemque sublata facultate quandocumque revocandae abdicationis. Procuratorum designatio per Concilium fieri debebat, nonnullis praelatis ex qualibet natione electis, inter quos Papa eligeret, relicta ei facultate alios etiam addendi. Subinde honorifica legatio ad Ioannem mittitur rogandi caussa ut formulam ipsam acceptaret et Constantiam reverteretur, vel civitatem Ulmam aut Basileam peteret transactioni prosequendae, datis duobus diebus ad alterutram eligendam, ac decem ad digrediendum, quibus elapsis, in ipsum ageretur tamquam schismatis fautorem ac de haeresi suspectum.

Novum deinde Consilium examinandae Hussii doctrinae constituitur.

Conantur aliqui Patres obtinere ut Concilium prohibeat quominus Pontifex et Cardinales utcumque se immisceant deliberationibus conciliaribus, praetexta causa, quod reformatio circa eorum agendi modum versari deberet. Haec tamen propositio illum effectum habuit ut Cardinales die sequenti nationibus congregatis seriem thesium Sedi Apostolicae faventium, contra nimiam auctoritatem Concilio assertam, exhiberent. At congregatio quatuor nationum decrevit necessarium esse plerisque illis thesibus clausulas restrictivas apponere.

Interim legatio Concilii Brisacum pervenerat. Prima die Ioannes infirmitatem causatus eam non recepit, secunda die eam excipiens, se responsionem daturum promisit; at die 25 aprilis summo mane clam solum vertit, Nevenburgum petens eo consilio, ut tutum sibi perfugium Avenione pararet. At difficultatibus territus, iterum se Brisacum recipit ac paulo post Friburgum, ibique cum Concilii Legatis collocutus, concepta formula semet obstrinxit ad id agendum quod Concilium proponebat quoad ipsius abdicationem, etiamsi Gregorius XII et Benedictus XIII ipsius exemplum imitari renuerent.

Sessione septima citatur Ioannes, non obstantibus eius concessionibus, ut sistat sese intra novem dies ad refutandam haeresim, schisma, simoniam et alia crimina illi obiecta sub poena suspensionis et depositionis. Agnoscitur item Hieronymi Pragensis citati et non comparentis contumacia.

Sessione octava lecto Symbolo Concilii Lateranensis « Firmiter credimus » cui praesentes Patres adhaerent, legitur et confirmatur decretum, quod incipit *Fidem catholicam*, quo enumerati 45 articuli Wicleffii, cum aliis eius scriptis damnantur atque igni addicuntur, ipsiusque ossa exhumata comburi iubentur. — Citatio Ioannis affigitur portae civitatis.

Sessione nona, cum Ioannes non comparuisset, Promotor Concilii Henricus de Pirro Patribus proponit audienda cri-

mina Pontifici obiecta eumque interdicere a pontificatu. Concilium tamen per unum adhuc diem exspectandum censet, interdictum vero differt ad Sessionem sequentem. Interim eliguntur Commissarii testibus audiendis contra ipsum Pontificem et Iudices aliis quaestionibus definiendis. Tum damnatio 260 articulorum Ioannis Wicleffii ab uni versitate Oxoniensi facta rata habetur.

Sessione decima post iteratam citationem, Ioannes testibus convictus in pluribus criminibus, lata sententia suspenditur ab omni administratione Pontificatus tam spirituali quam temporali.

Post hanc Sessionem die altera in Congregatione generali nationum, legitur Bulla Gregorii XII data ad Cardinalem S. Sixti, qua declarat, mentem suam abdicandi pontificatum atque agnoscendi Concilium Constantiense, duplici tamen conditione, scilicet si convocatio facta fuerat etiam nomine Imperatoris et non solum nomine Balthassaris Cossa, et si iste nec praesideret neque interesset Synodo. Interim die 16 maii audiuntur Episcopi ac presbyteri quamplures, inter quos multi officiales curiae, qui iureiurando interposito, contra Ioannem testimonium dicunt, unde septuaginta duo accusationum capita colliguntur. Ioannes vero iterum citandus ad audienda crimina quorum reus habebatur edicitur.

Sessione undecima Promotor Concilii poscit ut obiecta Ioanni crimina conceptis verbis perstringantur, atque ipse citetur ad comparendum audiendamque sententiam definitivam. Cum Patres omnes assensi essent, leguntur 54 capita accusationum, ac statuitur, ea esse Ioanni notificanda cum mandato personaliter comparendi die 27 maii in generali Sessione ad audiendam definitivam sententiam. His acceptis, Ioannes qui interea in oppidum erat reductus circiter tribus horis Constantia distans, reposuit se illis nolle respondere, quin potius iudicio Concilii se totum subiicere cuius indulgentiam implorabat.

Sessione decima secunda pronuntiatur in Ioannem depositionis sententia, qui exutus pontificiis insignibus, eidem adquiescit, quique traditur dein Electori Palatino custodiendus. Decernitur quod si Apostolica Sedes vacare contingeret, nihil hac de re statueretur sine deliberatione Concilii, et quod nullus e tribus Pontificibus dubiis esset eligendus.

Post hanc Sessionem Hussii causa resumitur, eiusque errores examinantur.

Sessione decima tertia contra Iacobellum Misnensem, Hussii socium, communionem sub utraque specie etiam non ieiunis distribuentem docentemque eam esse necessariam, definitur, sententiam illam esse erroneam et haereticam: sub excommunicatione prohibetur sacerdotibus, ne communionem sub utraque specie populo distribuant: declaratur, consuetudinem distribuendi sub una tantum specie panis Eucharistiam, non fuisse quidem semper in Ecclesia usitatam, ad evitanda tamen multa scandala et pericula rationabiliter introductam.

In eadem Sessione coeptum etiam est examen doctrinae Ioannis Parvi tyrannicidii defensoris.

Eodem die (15 iunii 1415) quo habita est praecedens Sessio, Constantiam appulit Carolus Malatesta Legatus Gregorii XII.

Sessione decima quarta acceptatur abdicatio Pontificatus a Gregorio XII facta per legatum suum Carolum Malatestam. Utriusque Pontificis Cardinales, recepti sunt, prohibiti tamen nequid circa electionem novi Pontificis citra Concilii consensum molirentur. Acta porro Gregorii sacris Canonibus conformia acceptantur, ac officiales et curiales ipsius in suis muneribus relinquuntur. Decernitur, nullum ex Concilii patribus ante electionem novi Pontificis a Synodo posse recedere. Benedictum XIII iterum cohortatur Synodus ad abdicationem toties promissam intra decem dies faciendam, quod nisi praestaret, eum Synodus ex tunc declarabat notorium schismaticum et pertinacem haereticum.

Sessione decima quinta diuturno examine absoluto, productus in Concilium Ioannes Hus accusatur et convincitur haereseos. Triginta articulis condemnatis et libris eius igni addictis, ipse, ut erat pertinax, de gradu deiectus saeculari traditur potestati, a qua, prouti tunc leges ferebant, igne multatur [1].

Sessione decima sexta Comitatus eligitur delegatorum, qui cum Sigismundo adeant Regem Aragoniae et Nicaeam Liguriae ad colloquendum cum Benedicto XIII proficiscantur, ut eum ad cessionem inducant. Statuitur, Bullas ad Gregorii abdicationem spectantes exscribi debere atque authentica earum exemplaria Imperatori dari ad gravissimum illud negotium cum Benedicto XIII transigendum.

Sessione decima septima Deo commendatur Sigismundus Imperator ad felicem rei exitum consequendum. Decretum editur, quo Angelus Corarius Cardinalis Episcopus ac perpetuus Legatus in Marchia Anconitana constituitur. Alio autem decreto excommunicatio intentatur iis, qui Imperatoris iter impedire auderent.

Post haec iterum examinatur Hieronymus Pragensis.

Sessione decima octava constituuntur Iudices delegati causis cognoscendis ad Concilium pertinentibus, exceptis causis maioribus et illis, quae referebantur ad Ecclesias Cathedrales. Statuitur, Concilii Bullas eadem auctoritate pollere ac Bullae S. Sedis et in easdem poenas incurrere falsarios. Epistolae vero gratiarum datae a Ioanne XXIII usque ad suam suspensionem (14 martii 1415) muniendae dicuntur Concilii sigillo ac ratae habendae a Cardinali

1 Quoad capitalem poenam haereticis inflictam advertendum est, non posse iudicari de rebus eius temporis, iuxta mores legesque aetatum recentiorum. Legislatio enim criminalis medii aevi longe severior erat, quam quae recentius instituta est. Delicta quae hodie puniuntur levi poena, torturis ac morte ipsa puniebantur. Exemplo sit codex paenalis Caroli V quo blasphemiae contra Deum ac Beatissimam Virginem poena capitis multabantur, magia extremo supplicio; qui pecuniam falsassent, damnabantur igne; qui vero mensuras, virgarum ictibus dilaniebantur. Neque omittendum, codices ipsos civiles unanimiter crimen haeresis quod tunc temporis cum rebellionis delicto coniunctum censebatur, morte multasse.

Ostiensi, exceptis gratiis expectativis et exorbitantibus. Praelati absentes iterum citantur.

Sessione decima nona Hieronymus Pragensis introductus in Concilium, haereseos accusatus et convictus, fidei catholicae professione emissa, haeresim eiurat. Declaratur fidem publicam, a saeculari potestate haereticis concessam, obligandi vim amittere, quando iidem in haeresi pertinaces persistant [1].

Sessione vigesima datur monitorium ad Fridericum Archiducem Austriae de causa cum Episcopo Tridentino ad reparanda damna eidem ecclesiae illata, cuius bona invaserat. Approbantur capita cum Hispanis pro exstirpatione schismatis conventa in quibus Concilium promittit se Lunensis acta rata habiturum ipsiusque Cardinales agniturum.

Sessione vigesima prima Hieronymus Pragensis relapsus in haeresim quam eiuraverat, convictus et de gradu deiectus iudicio traditur saeculari, quo ad rogum damnatus est.

Sessione vigesima secunda introducti legati Regis Aragoniae, Navarrae, Castellae et Lusitaniae, qui nationem quintam seu hispanicam repraesentare incipiunt, pari cum reliquis suffragiorum numero donati.

Sessione vigesima tertia lecti duodecim Delegati Iudices in causa Petri de Luna inter Cardinales et membra quinque nationum.

Sessione vigesima quarta probatur Decretum, quo, relatis actis Petri de Luna, is accusatus tamquam schismatis fautor atque altor, citatur ad comparendum.

Sessione vigesima quinta tum Oloronensis (Oloron), tum Aturensis (Aire) episcopus in Concilium recipitur, uterque

1 Non est hic decisum, ut Novatores dicunt, haereticis non esse fidem servandam ab iis qui eam dederunt et quomodo dederunt. Concilium illam non aliter, dedit, nisi cum addito « salva iustitia et quantum fides orthodoxa exigit » ut patet ex Sess. VI. Sigismundus vero fidem publicam dedit, quatenus ad ipsius iurisdictionem et potestatem saecularem pertinuit, praestititque quantum potuit. Plus neque promisit, neque praestare tenebatur. Nec praetereundum est, fidem publicam a violentiis tantum illegitimis eximere, non vero ab actione regulari iustitiae. Denique ius illud qualecumque Hieronymus amisisset, ob perfidam fugam qua elapsus est, quamvis iterum retractus.

nomine Comitis Fuxensis adhaerens Narbonensi conventioni.

Sessione vigesima sexta ad componendas quaestiones exortas inter Anglos, Gallos et Hispanos quoad praeeminentiam, decernitur, ordinem quo nationes sederent ac suffragium ferrent, nullam praeeminentiam importare. Legati regis Navarrae in unionem recepti sunt.

Sessione vigesima septima processum est in causa Friderici pro Ecclesia Tridentina ac nova citatio eidem missa. Magna solemnitate excipitur Sigismundus ex Hispania redux.

Sessione vigesima octava Fridericus cum eius asseclis declaratur rebellis atque Ecclesiae spoliator; anathemate percellitur; a possessionibus interdicitur.

Sessione vigesima nona Petrus de Luna rebellionis accusatur et citatur ad comparendum.

Sessione trigesima Legati, qui Petrum Lunensem convenerant, rationem reddunt missionis et citationis eidem remissae. Recessus regis Aragoniae ab obedientia Petri Lunensis solemniter agnoscitur. Minae ab hoc intentatae illis qui a sua obedientia se subtraherent, declarantur nullae.

Sessione trigesima prima, trigesima secunda, trigesima tertia, trigesima quarta insumptae in variis relationibus circa Petrum de Luna, eiusque citationes ac deliberationem quoad sententiam definitivam.

Sessione trigesima quinta in unionem receptus rex Castellae cuius Legati tum primum advenerant.

Sessione trigesima sexta citatur Lunensis ad audiendam sententiam definitivam Concilii.

Sessione trigesima septima lata sententia definitiva est in Petrum de Luna contumacem, qua de Pontificatus gradu deiicitur, fideles autem qui ei parebant, obediendi officio solvuntur.

Sessione trigesima octava cui Imperator non interfuit, iterum declaratae sunt nullae sententiae latae a Benedicto XIII ab ineunte aprili an. 1416 contra Castellae

regem eiusque consultores, legatos eique adhaerentes; tum etiam contra Vitalem de Soto, Ioannem de S. Iacobo, Garciam Vegaras et alios. Actum deinde est de privilegio concesso Aragoniae deputatis, qui tot suffragia habebant, quot omnes Episcopi subiecti eorum Regi haberent etiam extra Hispaniam exstantes, si in Concilio essent. Haec praerogativa iisdem ablata fuit, ac decretum est, Legatos Castellae, Aragoniae, Lusitaniae ac Navarrae tot pollere suffragis quot erant Episcopi Peninsulae ibericae.

Sessione trigesima nona statutum fuit ut post quinquennium, rursus celebraretur Concilium generale; ab illo rursus aliud post septennium ac deinceps singulis decenniis ad evitanda schismata. — Altero Decreto praescribitur novo Pontifici eligendo, formula professionis fidei. Prohibetur ne translationes Episcoporum fiant a Pontifice, ipsis invitis, absque magna Ecclesiae necessitate. Abolentur papales episcopalium procurationum reservationes et spoliorum exactiones ex bonis clericorum, sive in Curia, sive extra curiam decedentium.

Sessione quadragesima praescribitur novo Pontifici, ut reformet Ecclesiam in capite et membris et Curiam romanam [1] secundum aequitatem et bonum regimen Ecclesiae in variis Articulis, scilicet de numero, qualitate et natione Cardinalium; de reservationibus Sedis apostolicae; de annatis, communibus servitiis et minutis; de collationibus beneficiorum et gratiis expectativis; de confirmationibus electionum; de causis in Curia Romana tractandis; de appellationibus ad romanam curiam; de officiis Cancellariae et Poenitentiariae; de exemptionibus et unionibus tempore schismatis factis; de commendis; de fructibus medii temporis; de non alienandis bonis Ecclesiae romanae; propter quae et quomodo possit corrigi Papa; de

1 Magnam haec res in Concilio excitavit controversiam, nationes enim, praesertim germanica cum Caesare magnopere contendebant, Curiam Romanam esse a Concilio reformandam ante electionem Papae, Cardinalibus vehementer se opponentibus eamque reformationem, electo iam Pontifice, suscipiendam contendentibus.

exstirpatione simoniae; de dispensationibus; de provisione Papae et Cardinalium; de indulgentiis; de decimis.

Alio Decreto constituitur, ut, non obstante absentia Cardinalium, qui post electionem Petri de Luna tribus amplius mensibus expectati non venerunt, ad electionem Romani Pontificis procedatur.

Tertio Decreto statuitur ut hac vice dumtaxat ad eligendum Rom. Pontificem una cum Cardinalibus sex Praelati, vel aliae spectatae personae ecclesiasticae in sacris ordinibus constitutae, de unaquaque natione, admittantur.

Sessione quadragesima prima post sermonem habitum a Laudensi Episcopo in illum Scripturae locum: *Eligite meliorem* (IV. Reg. X. 3,) tum decretum Clementis VI quoad Conclave, tum decem instructiones leguntur a Concilio redactae. Exinde 30 electores, praeter 23 Cardinales, ingressi Conclave, tertio post die eligunt Pontificem Max. Othonem Columnam Cardinalem titulo S. Georgii in Velabro, subdiaconum, qui Martini V nomen adscivit.

Sessione quadragesima secunda praeside iam Martino V, liberantur Sigismundus et Ludovicus Elector ab onere custodiendi Balthassarem Cossa, qui tamen per non breve tempus detentus adhuc fuit ab Electore quousque ab eo extorqueret summam 30,000 florenorum aureorum. Balthassar se subiecit Pontifici a quo Cardinalis Episcopus Tusculanus renunciatus est, at eodem anno vita migravit.

Sessione quadragesima tertia novus Pontifex nonnulla capita reformationis evulgat scilicet 1) de exemptionibus abolendis, quae post Gregorium XI absque Ordinariorum consensu et non cognita causa concessae fuerant, illis exceptis, quae in gratiam alicuius fundationis vel universitatis datae fuerant. Insuper addit Pontifex: « Non intendimus exemptionem de cetero facere, nisi causa cognita et iis vocatis quorum interest. »

2) De examinandis unionibus beneficiorum, quas ab obitu Gregorii XI Pontifices fecerant.

3) De fructibus Ecclesiarum vacantium, quos Papa vetat vel sibi vel Camerae Apostolicae applicari.

4) De simonia in electionibus, ordinationibus, postulationibus et collationibus penitus eliminanda. Declarat Pontifex, sic ordinatos non posse facere fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tamquam inique ablatorum, teneri: dantes vero et recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrere, etiamsi pontificali aut Cardinalatus praefulgeant dignitate.

5) De dispensationibus revocandis, per quas licuerat electis ad ecclesias, monasteria, et quaecumque alia beneficia praescriptum officium negligere vel differre; beneficia enim propter officium dantur, et absurdum est ut qui beneficia obtinent, recusent aut negligant officium exercere.

6) De decimis et aliis oneribus non imponendis ecclesiis vel clericis a quovis Praelato, aut ipso Romano Pontifice, ait Pontifex: « Generaliter super ipsum clerum, nisi ex magna et ardua causa et utilitate universalem Ecclesiam concernente et de consilio, consensu et subscriptione Cardinalium et Praelatorum, quorum consilium commode haberi poterit; nec specialiter in aliquo regno, vel provincia, inconsultis Praelatis regni illius vel Provinciae et ipsis non consentientibus, vel eorum maiore parte. onera non debere imponi. »

7) De vita et honestate clericorum, praecipue quoad vestes et tonsuram.

In hac Sessione fit etiam allusio ad concordata inita cum nationibus, hinc dubitari nequit etiam illa fuisse proposita. Quoad nationem germanicam Concordatum agebat.

1) De numero et qualitate Cardinalium qui ad 23 reducuntur. 2) De provvisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum et Parochiarum, ut nemo per Papam ad episcopatum promoveatur nisi sit doctor aut licentiatus cum rigore

examinis, in theologia aut iure canonico. 3) De annatis; ut pro sustentatione Summi Pontificis et Cardinalium de ecclesiis et monasteriis virorum dumtaxat vacantibus et vacaturis, solvantur pro fructibus primi anni, a die vacationis, pecuniae in libris Camerae apostolicae taxatae, quae servitia communia nuncupantur, si vero male taxatae sunt retaxentur iuste, si autem bis in anno Ecclesiae vacaverint, annata tantum semel solvatur, nec debitum huiusmodi in successorem transeat. 4) De causis in romana Curia tractandis vel secus; ne causas quae ad forum ecclesiasticum nec iure, neque consuetudine pertinent, Curia romana sibi vindicet, nisi de consensu partium. Quae vero ad ipsam appellatione devolutae sunt, aut ad eam iure pertinent in ea tractentur. Reliquae partibus committantur. Matrimonialium causarum prima cognitio non habeatur in Curia. Appellationes frustratoriae, ante definitivam sententiam propositae, reiiciantur. 5) De exemptionibus ut supra Sess. 43. 6) De Commendis; ut posthac Monasteria, aut Prioratus conventuales, qui ultra decem religiosos, et officia claustralia habent, aut dignitates maiores infra pontificalem in ecclesiis cathedralibus, aut parochiae, nulli Praelato ne Cardinali quidem in commendam dentur. 7) De fructibus medii temporis ut supra Sess. 43. 8) De rebus Ecclesiae non alienandis; ut illae quae contra iuris formam factae sunt, revocentur. 9) De quibus causis Papa corrigi possit vel deponi. Visum non fuit in pluribus nationibus hac de re novi aliquid statui vel decerni oportere. 10) De Simoniacis ordinationibus, ut supra n. 4. 11) De dispensationibus, ut supra. 12) De residentia; ut Episcopi et Praelati in suis ecclesiis et dioecesibus, Abbates in suis monasteriis personaliter resideant, multandi fructibus per biennium, et redditibus suis, qui Ecclesiis et monasteriis applicandi sunt, si abfuerint per sex menses. Quod si per biennium abfuerint, Ecclesiis ipsis et monasteriis privantur. Addit Pontifex nolle se dispensare circa eos, qui beneficia incompatibilia obtinent. 13) De ratione providendi

Papae et Cardinalibus declaratur, ipsorum sustentationi aliter prospici non posse, quam per beneficia et communia servitia. 14) De Indulgentiis spondet Pontifex, cauturum se ab earum profusione ne vilescant. 15) De decimis et aliis oneribus ecclesiasticis, ut supra n. 6. Concordatum deinde initum fuit cum Gallis, et alterum cum Anglis.

Sessione quadragesima quarta futuro post quinquennium Concilio Papia urbs Italiae, designatur.

Sessione quadragesima quinta Martinus V confirmat omnia Concilii decreta in materia fidei conciliariter facta; tum concessa omnibus, qui Synodo adfuerant, indulgentia plenaria semel in vita et iterum in morte, Synodum solvit. Poloni tamen nonnisi cum protestatione et provocatione ad futurum Concilium discessere, eo quod Pontifex non aperte damnasset libellum quemdam Joannis Falckenbergii in quo plura illis eorumque Regi ac Principibus iniuriosa continebantur.

Ceterum Concilium hoc absque ullo dubio generale fuit quoad ultimas quatuor Sessiones, quibus Pontifex ipse praesedit.

Quod vero attinet ad Sessiones praecedentes earumque decreta, Martinus V confirmavit ea quae *in materia fidei conciliariter determinata, conclusa et decreta sunt*. Attamen exinde concludi nequit, reprobata ab ipso fuisse omnia cetera decreta, cuiusmodi sunt illa quae in Sess. XXIX emanata sunt, vel quae ad eius electionem ac Joannis XXIII et Benedicti XIII depositionem pertinebant. Hinc dicendum est, Pontificem abstinuisse quidem a generali approbatione, attamen studio pacis noluisse magis determinate loqui, quod Eugenius IV fecit an. 1446 dum omnia decreta Constantientia probavit absque tamen praeiudicio iuris, dignitatis et praeeminentiae Sedis Apostolicae. Hinc in praesens agnoscenda sunt ut oecumenica, omnia decreta Concilii Constantiensis, quae nullum praeiudicium inferunt iuribus S. Sedis, reiicienda vero illa, quae iura, dignitatem et praeeminentiam eius laedunt.

CONCILIUM BASILEENSE

Quod in Synodo Constantiensi indictum fuerat Concilium, statuto etiam tempore, anno scilicet 1423 Papiae cogendum Martinus V Rom. Pont. celebrare studuerat, missis illuc legatis; at lue pestifera ibidem grassante, Senas transferri oportuit.

Habita hic Sessione cum Wicleffitarum et Hussitarum haeresis iterato damnata atque de restauranda Graecorum unione coeptum esset tractari, ab Patrum paucitatem, bellorum et schismatis ab Alphonso Aragonio intentati metum, resque graecorum adhuc impeditas, in septennium Synodus prorogata est ac Basileam indicta.

Martinus V Iulianum Caesarinum S. Angeli Cardinalem Diaconum, legatum suum a latere Concilii Praesidem elegit; mortuo vero Martino V, Eugenius IV eius successor, indictionem illam ratam habuit, confirmato Iuliano Legato et Concilii praeside.

Is in Germaniam digressus ut expeditionem in rebelles Bohemos pararet, quam romana consuetudo *Cruciatam* appellat, infelicis eius exitus spectator fuit. Hinc optimum factu visum est, si Basileam, ubi nuper indictum erat Concilium, Bohemi vocarentur. Quare Iulianus eo loci praemisit Ioannem Polemarium sacri palatii Auditorem et Ioannem de Ragusio Ord. Praed. qui illuc appulsi, Ioannem Malbrunae Abbatem et Ioannem Gelhusium eiusdem

Coenobii Monachum ad synodum appellarunt. Non multos post dies, ipse Legatus Basileam adveniens, Ioannem Gelhusium et Hummanum Offenburgensem Consulem Basileensem primum ad Sigismundum Caesarem, deinde ad Fridericum ducem Austriae cum litteris mittit, quibus Bohemi et Moravi ad Concilium vocabantur. Has litteras Sigismundus mox in Bohemiam perferendas curavit, cum vero ipse in Italiam profecturus esset ut imperialem a Pontifice Max. coronam susciperet, protectorem interim velut Vicarium sacro Concilio dedit Gulielmum Bavariae ducem.

Die 14. Decemb. an. 1431 prima Sessio habita est in Ecclesia S. Leonardi. In hac Cardinalis Iulianus Caesarinus sermonem ad Patres habet, assumpto Isaiae loco: « mundamini qui fertis vasa Domini » quo salubri cohortatione omnes de puritate, munditia, et vitae integritate solerter in charitate non ficta admonuit, praecipue vero eis auctor fuit, ut Ecclesiae universalis utilitati prospicerent. Lectum deinde est Decretum Concilii Constantiensis de frequenti Conciliorum celebratione ac Bulla convocationis Martini V, qua Iulianum ipsum praesidem synodo dabat. Lectae etiam sunt Litterae Eugenii IV eidem datae, quibus confirmabatur Praeses Concilii et huius causae afferebantur, haereseon profligatio, tranquillitas inter christianos populos restituenda, reformatio Ecclesiae in capite et membris. Exinde, confirmatis decretis Concilii Constantiensis contra perturbatores Synodi atque eos, qui ab ipsa, non patefacta causa, recederent, singulis plena loquendi libertas conceditur et Concilium iam inchoatum declaratur.

At Eugenius IV, qui a Ioanne Beuperio per Concilii Praesidem Romam misso inaudiverat, tristem conditionem ac pericula in quibus Synodus ipsa versabatur tum ob Hussitarum vexationes, tum propter bellum inter Fridericum Austriae et Philippum Burgundiae ducem exortum, die 12 Nov. 1431 Danielem Parentinum Episcopum Basileam ad Iulianum cum litteris legaverat, quibus cau-

satus hiemale tempus impendens, periculum Basileam accedendi et consequenter exiguum numerum Patrum qui expectari poterant, ac insuper animadvertens quod Graeci, qui Oecumenicam Synodum optabant ad unionem cum Latinis restaurandam, libentius Bononiam accederent, ipsius Praesidis arbitrio relinquebat Concilium, si quod Basileae congregatum videretur, dissolvere atque opportuna ad id facultate eum instruebat. Quod si concilium dissolveret, praesidi mandabat, ut Patribus congregatis significaret, post octodecim menses Bononiae Synodum habendam esse, cui ipse Pontifex praesideret, aliamque post decennium se convocaturum spondebat, iuxta Decreti Constantiensis praescriptum.

Die vero 18 Decembris Eugenius ipse Bullam vulgavit quae incipit « Quoniam alto » qua repetitis rationibus dissolutionem poscentibus, quas dederat in litteris ad Iulianum missis, illud addebat, invitamentum haereticis oblatum ut Basileam ad Concilium venirent, ibique de his quae iam definita fuerant disputarent, Apostolicae Sedis auctoritati detrimentum afferre: qua propter Concilium dissolvebat, aliud Bononiae post octodecim menses convocans, atque aliud post decennium Avenione.

Huic Eugenii decreto vehementer restitere Patres Basileenses cum ipso Iuliano Praeside datisque ad Sigismundum Regem litteris eius opem implorarunt, ab eoque petierunt ut Gulielmum Bavariae Ducem aliosque Germaniae Praesules quamprimum Basileam petere iuberet. Sigismundus vicissim opem Concilio ferre promittens rescripsit Patribus, se iam Pontifici Litteras misisse, eumque enixe rogasse ut latum dissolutionis decretum revocaret.

Cardinalis Caesarinus scribens et ipse Pontifici litteras, rationes pro dissolvendo Concilio exhibitas solvit, pericula et damna a dissolutione dimanatura ob oculos ponit, suam agendi rationem defendit simulque enixe Eugenium rogat, ut a suscepto consilio recedat.

Patres vero Concilii die 12 Ianuarii edita epistola encyclica, praesules aliosque qui de iure aut consuetudine ad Concilium venire tenebantur, Basileam evocarunt, contestati se Concilium continuaturos donec negotia propter quae convenerant essent composita; tum Legatos Romam atque appellationis formulam ad Pontificem melius informandum miserunt. Eorum consilium probarunt Sigismundus Imperator, Carolus VII rex Galliae eiusque clerus, qui pro continuando Concilio legationem misit Pontifici, atque ita numerus Praesulum Basileensium auctus est.

Hinc die 15 Febr. 1432 secunda Sessio habita est. In hac Basileense Concilium legitime inchoatum declaratur, decreta Sess. IV. et V. Concilii Constantiensis auctoritatem Synodi generalis supra Pontificem statuentia confirmantur[1], decernitur Basileense esse huiusmodi Concilium quod universalem Ecclesiam repraesentet et immediate a Christo potestatem habeat, nec a Pontifice dissolvi, aut prorogari aut transferri posse; decernitur, quemcumque etiam dignitatis papalis, statutis, ordinationibus aut praeceptis eius aut cuiuscumque alterius generalis Concilii, quoad res fidei, extirpationem haeresis, ac reformationem Ecclesiae obedire debere et si contumaciter parere contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciendum esse, nec sine ipsius consensu quemquam e Synodo evocari aut ab illius accessu prohiberi posse ab alio quocumque. Iniungitur denique Synodo praesentibus, ne sine licentia et ante eius finem Basilea digrediantur.

In Sessione tertia post generalem expositionem factorum, quae hactenus contigerant, confirmatur adhuc Constantiense decretum de superioritate Concilii supra Pontificem, Synodus vero cum omni reverentia et instantia Papam Eugenium rogat, quatenus praetensam dissolutionem sicut de facto processit, de facto revocet, eamque revocationem publicam reddat. Obsecrat ut in posterum favore ac prote-

1 Male a Basileensibus Patribus allegatur decretum Concilii Constantiensis utpote quod non loquebatur de Pontifice certo ac legitimo, sed de dubio pro tempore schismatis.

ctione Synodum prosequi velit, illumque citat ut intra tres menses Concilio adsit, quod si per se adesse non possit, personam vel personas loco et vice sui destinet et transmittat cum plenaria potestate ad omnia et singula in Synodo peragenda. Quod si haec facere neglexerit, declarat Synodus seipsam necessitatibus Ecclesiae consulturam atque ita processuram, ut ius poscit divinum pariter et humanum. Similiter et Cardinales exorat, ut Papam ad comparendum sollicitent eosque iubet, monet et citat ut intra spatium trimestre ad Concilium accedant, puniendos ut contumaces nisi compareant.

In Sessione quarta die 20 Iunii, Bohemis aliisque ad Concilium venire volentibus, conceditur commeatus liber amplissimus, prohibetur si Pontifex decederet, electionem alibi fieri quam in Concilio, Papae vero interdicitur extra Concilium novos Cardinales creare. Decernitur obligationes quascumque aut censuras accessum ad Synodum impedientes nullatenus valere, statuitur ut Acta Concilii muniantur in posterum peculiari sigillo, quod ex una parte descensum Spiritus Sancti in columbae specie repraesentet, ex altera vero parte referat verba « Sacrosancta generalis Synodus Basileensis » Denique novus legatus Avenionensibus et Venusinis datur, in locum Marci Gondelmeri a Pontifice electi.

In Sessione quinta tres constituuntur Iudices ad examinandas causas fidei ante sententiam definitivam Synodi, ac tres ad alia negotia tractanda, quae Concilio deferentur. Decernitur nullum ex Patribus aut Concilio assistentibus invitum Basilea evocari ad qualemcumque iudicem ecclesiasticum posse. Inter hanc vero et sequentem Sessionem duae habentur Congregationes, in quibus quatuor legati Eugenii IV audiuntur. Episcopus Tarentinus egregie de Pontificis auctoritate ac de iure ad eum pertinente quoad locum ac tempus celebrandi Concilia disceptat. Tum exponit Pontificem, qui ex Italia egredi non poterat, quemlibet locum in Italia ipsa offerre ad Concilium

celebrandum. Cui Basileenses Patres responderunt, solvere Concilium legitime convocatum, idem esse ac schisma in Ecclesia renovare et caritatis vinculum scindere, quod nequit Pontifex efficere, qui caput ministeriale Ecclesiae est. Tum rationes refutarunt pro dissolutione allatas ac se in suscepto consilio usque perstituros professi sunt.

In Sessione sexta cum Eugenius IV nec decretum de Concilii dimissione revocasset, nec per se aut per legatos Synodo interesse voluisset, Promotores Concilii petunt, ut contumax declaretur post trinam monitionem Ecclesiae valvis affixam.

In Sessione septima confirmatur Decretum de Pontifice extra locum Concilii non eligendo, quapropter electionis tempus ampliatur simulque iniungitur, ne Cardinales sine consensu Synodi ad electionem procedant. Ad haec, beneficia Cardinalium contumacium permittuntur Ordinariis.

In Sessione octava ad duos menses prorogatur tempus, intra quod Pontifex sistere se debeat Concilio; Praesules autem sub poena privationis beneficiorum sine mora adesse iubentur. Decernitur unicum tantum esse posse Concilium generale; statuitur excommunicatio ipso facto incurrenda ab iis, qui alio convenire tentarent. Privatur ipso iure omnibus muneribus ecclesiasticis eique aditus ad alia obtinenda praecluditur, qui beneficium a Pontifice acceptet pertinens ad aliquem adhaerentem Concilio. Denique inhibetur Pontifici quaelibet alienatio vel donatio quorumlibet bonorum Ecclesiae.

Interim vero legati Bohemi cum Basileam pervenissent pacem et unitatem spondebant, dummodo quoad quatuor capita ipsis satisfieret, scilicet 1) de calice laicis concedendo 2) de iure quod hominibus etiam privatis ipsi adserebant, publica scelera plectendi 3) de permittenda cuivis libertate praedicandi 4) de clericis bonorum temporalium possessione prohibendis.

In Congregatione per plures dies habita, Doctores Catholici responderunt Bohemis, nominatim vero Rokizanae

Ioanni hussitae de communione sub utraque specie disserenti, respondit Ioannes de Ragusio: Taboritam circa privatam scelerum punitionem, refutavit Aegidius Carlerius Decanus Cameracensis: Orphanitam pro praedicandi libertate pugnantem, Henricus Kalteisen Dominicanus; Petrum Anglicum contra possessiones clericorum perorantem, Ioannes Polemarius Auditor causarum sacri palatii. Cumque reponentibus Bohemis disputatio disputationem pareret, nullusque dicendi esset finis, visum est Gulielmo Bavariae duci, unionem amice colloquendo facilius, quam disputando iniri posse. At frustra, siquidem Bohemi pertinaces quatuor iis articulis haerebant. Cum igitur nihil ex concilii sententia succederet, missi sunt cum Bohemis a Concilio Pragam legati, qui directe cum populo in comitiis congregato tractarent, praesertim quod legati Bohemi negarent potestatem sibi factam concedendi ea, quae postulabantur a Synodo. Hi humaniter Pragae excepti, post multos tractatus Pragae, Ratisbonae, Egrae, Brunae ad Albam regalem in Hungaria coram Sigismundo Caesare, denique Inglaviae in Moravia, eodem Caesare praesente, anno 1438 inierunt concordiam seu *compactata*, quae rata fuerunt habita a Concilio.

In Sessione nona Synodus ut grati animi testimonium Sigismundo regi, in quo egregium patronum atque sui defensorem invenerat, exhiberet, nullum declaravit ac nullius effectus quidquid Romanus Pontifex contra ipsum, vel Concilium, vel ei adhaerentes faceret, ac Regis adversarios excommunicatione terruit.

Sessione decima Promotores Concilii instant pro declaranda Eugenii contumacia. Differtur hac de re iudicium, novae preces a Concilio ipso et Sigismundo Pontifici exhibentur, deputantur iudices instituendae in eum actionis.

Sessione decima prima decernitur, Romanum Pontificem teneri vel per se vel per Legatos Concilio generali interesse, hos tamen Legatos non ab ipso solo, sed audito suffragio duarum e tribus partibus Collegii Cardinalium, seli-

gendos esse. Si quis vero per quatuor menses advenire negligit, eum suspensionem temporariam incurrere statuitur, non excepto Pontifice Maximo, quo in casu eius potestas, ad Concilium devolvitur et si per duos alios menses protrahatur absentia, Synodum ad graviores poenas atque etiam ad depositionem procedere debere. Decernitur, Pontifici ius non esse aliquem impediendi ab accessu ad Synodum.

Si Rom. Pontifex quolibet decennio Concilium convocare negligat, decernitur, convocandi ius ad Episcopos transire, quin Pontifex impedire id possit.

Declaratur, Concilii Constantiensis decretum prohibens dilationem convocandi Synodum, Pontificem ipsum obligare, ac proinde Basileense Concilium sine consensu duarum e tribus partibus Praelatorum nec prorogari, nec interrumpi, nec transferri posse. Uno autem mense ante dimissionem Concilii Basileensis designandum esse locum, ubi aliud post decennium celebrabitur.

Decernitur, posse a Pontifice locum Concilii immutari, nonnullis conditionibus positis, eodemque iure etiam Cardinalium Collegium pollere, ubi eorum duae tertiae partes conveniant.

Statuitur ut in posterum in electione ad pontificatum maximum unusquisque ex electoribus antequam Conclave ingrediatur, teneatur promittere, servaturum se decreta eadem, si electio in ipsum cadat, idque iureiurando, addito promissis aliis, quae ex Concilii Constantiensis praescripto fieri debent. Has vero Pontifex electus in primo Consistorio publico renovabit, quod si omiserit, iudicio Concilii se submittet. Iubetur insuper has praescriptiones promulgandas esse ab omnibus Archiepiscopis et Episcopis in Conciliis Provincialibus et Dioecesanis atque a Capitibus Ordinum in Conciliis generalibus.

Denique declarantur nullae ac nullius effectus inhibitiones ac minae a Romano Pontifice, vel eius nomine, ab alio intentatae officialibus Curiae, ne Basileam accedant.

Inter haec Eugenius, qui animum iam induxerat a dimittendo Concilio desistere, legatos Basileam miserat, qui Synodo vice ipsius praesiderent. Eos tamen minime admiserunt Patres Basileenses tum quia Eugenius sententiam dimissionis non revocaverat legitimumque negabat esse Concilium ante suam adhaesionem, tum quia nimia potestate prae Concilio instruxerat legatos, quibus nempe demandaverat iudicandi munus, relicto Patribus congregatis officio dumtaxat consultorum, tum denique quia legatis commissum erat de reformatione quidem membrorum statuere, non tamen de Capitis reformatione.

Hinc Card. Julianus Sigismundo tunc Imperatori scripsit, ut animum Pontificis flecteret ad adhaesionem Concilio praestandam et quidem ea verborum formula, quam Imperator ipse Eugenio exhibuerat. Ceterum Gulielmus Dux vix obtinere a Patribus potuit, ut ne inchoaretur processus contra Pontificem.

Sessione duodecima duo decreta lata a Synodo sunt, quorum primo iterum asserebatur Concilio suprema auctoritas a Christo ipso immediate promanans, cui etiam Romanus Pontifex obedire teneatur quoad fidem, exstirpationem haereseon et generalem Ecclesiae reformationem in Capite et membris. Rogabatur ac iubebatur subinde Pontifex, ut decretum dimissionis revocaret, Concilii legitimam existentiam agnosceret, eique simpliciter per solemnem Bullam adhaereret, intentata poena suspensionis in spiritualibus et temporalibus, si hoc ipsum intra alios sexaginta dies induciarum quae dabantur, non praestaret.

Altero Decreto eligendi libertas Capitulis et Communitatibus vindicabatur ea lege lata, ut in posterum Episcopi a Cathedralium Canonicis, Abbates vero a Monachis eligi deberent. Reservationes pontificiae in conferendis ecclesiis Archiepiscopalibus, Episcopalibus, Collegiatis et Conventualibus abolebantur, relictis tantum reservationibus in Corpore iuris extantibus, atque illis, quae afficiebant praebendas territorio adnexas mediate vel immediate S. Sedi subiecto.

Statuebatur, non posse Pontificem in certis casibus ius eligendi suspendere, nisi *magna, rationabili et evidenti* causa expresse indicata in litteris pontificiis, novumque Pontificem iureiurando interposito promittere debere, huius decreti observantiam.

Denique particularis congregatio formulam pro electione Episcoporum et Abbatum redegit, ac simoniacas electiones irritavit.

Nova haec deliberatio Basileensis Concilii nondum Romam pervenerat, cum Eugenius, ratus admissa esse a Concilio, quae per legatos ipse proposuerat, ac proinde Concilium existere iuxta formam die 1 Julii 1433 praescriptam, decretum edidit, quo Concilii actionem ad tria tantum obiecta iam enunciata circumscribebat. Aliam subinde Constitutionem contra Basileenses Patres, quae incipit *Inscrutabilis* promulgavit die 29 Julii, qua suam personam ac Sedem defendebat, nullumque declarabat, quidquid contra Pontificem eique adhaerentes et circa collationem beneficiorum fuerat a Synodo decretum.

Attamen, ut desideriis Sigismundi Imp. satisfaceret, utque testimonium suae benevolentiae exhiberet, die 1 Augusti 1433 celebrem Constitutionem emisit, quae incipit *Dudum sacrum generale Basileense Concilium*, qua consentit et acceptat (*volumus et contentamur*) ut Basileense Concilium vim habeat legitimam ab initio convocationis et ut continuari possit ad exstirpationem haereseon et reformationem morum; abolet dimissionis, translationis et immutationis decreta, eique ex corde adhaeret, ea tamen conditione, ut Legati pontificii eiusdem Praesides sint, et quidquid contra sui personam ipsique adhaerentes vel contra Apostolicae Sedis auctoritatem decretum fuerat, abrogetur.

In Sessione decima tertia cui interfuerunt septem Cardinales, Legati Sigismundi ac Regis Galliarum Caroli VII, Principes electores Germaniae et Gulielmus Bavariae dux a Patribus Concilii obtinent alios 30 dies induciarum Pontifici.

Nuntii vero pontificii, alter Spoletanus, alter Cerviensis Episcopus, protestantur contra id omne quod in sessione fieret contra Eugenium. Sicuti Sess. XII factum fuerat, decernitur, ut emenso prorogationis termino contra Pontificem procedatur quin alia detur prorogatio. Statuitur, quidquid contra Concilium eique adhaerentes fieret irritum esse; et siquis aliquid a Pontifice acciperet cum detrimento Patris cuiuslibet in Concilio sedentis, eum intra sexaginta dies ad restitutionem teneri, quod si non faceret, eo ipso excommunicatione multandum esse, a qua, excepto mortis articulo, a solo Concilio vel eius delegato posset absolvi. Poena eadem infligitur iis, qui sententiam hanc exsequi negligerent.

Inter haec Romam pervenerant resolutiones Sess. XII. Pontifex die 13 Sept. Constitutione quae incipit *In Arcano*, nullum declarat quidquid in decretis eadem sessione latis contra eius personam ac restitutionem electionum canonicarum praescribebatur.

Sessione decima quarta, praesente Imperatore et Carolo VII Francorum Rege, Pontifici cui 80 dierum induciae fuerunt adhuc concessae, praescribitur formula, qua conciliatio fieri posset. Requirunt Patres ut in Bulla *Dudum sacrum* verbis *volumus et contentamur* substituatur verbum *decernimus* quaeque de conciliaribus decretis statuta erant, deleantur. Petunt insuper ut Eugenius censuras revocet contra Patres iisque adhaerentes latas et suum locum restituat Cardinalibus Cypri, S. Sixti, et Firmano, ut ex animo adhaereat Concilio eiusque affectum bonamque mentem agnoscat. Post haec legati Sigismundi et Regis Galliarum et ducis Burgundiae profisciscuntur Romam, ut Pontificem ad has acceptandas conditiones inducant.

In Sessione decima quinta decernitur Synodum *dioecesanam* quotannis, *provincialem* singulis bienniis esse celebrandam. Poenae contra negligentes statuuntur, praesidendi modus ac res tractandae indicantur.

Interim sub exitum anni 1433 Eugenius IV Principum suasionibus motus atque politicis sui status conditionibus impulsus, ad concessiones et pacem cum Patribus Basileensibus venit. Hinc die 15 Decembris a. 1433 Eugenius Bullam edidit quae incipit pariter *Dudum Sacrum*, qua formulam a Basileensibus Patribus exhibitam recipit, nullum declarat decretum dissolutionis, ac revocat censuras latas tribus Bullis praecedentibus [1].

In Sessione decima sexta die 5 febr. 1434 legitur Constitutio Eugenii, quam Patres acceptant. Hinc introducti sunt in Synodo Legati pontificii Nicolaus Albergati, Archiepiscopus Tarentinus, Episcopus Patavinus et Abbas S. Justini, qui tamen debuerunt, licet propriis nominibus, iureiurando sequentia probare: 1) Concilium Constantiense et quodlibet aliud Oecumenicum suam auctoritatem a Christo immediate habere atque omnes, non excluso Pontifice, eidem obedire debere quoad fidem, schismatis exstirpationem et Ecclesiae reformationem in Capite et membris. 2) Siquis etiamsi sit Papa non obediat, eum iuxta canones esse puniendum. 3) Decreturos se quod magis salutare in conscientia putaverint, nec discessuros a Synodo sine licentia commissionis synodalis ad hoc constitutae.

In Sessione decima septima Legati Pontificii, nomine, vice ac loco Eugenii admittuntur ut Concilii praesides, ea tamen conditione, ut nullam coercitivam iurisdictionem exerceant. Statuitur nihil immutandum in modo procedendi atque acta, ipsius Concilii nomine, redigi debere.

Sessione decima octava absentibus legatis Pontificis, confirmantur decreta Sess. IV et V Concilii Constantiensis [2]. Ioannes Patriarcha Antiochenus Patribus obtulit scriptum, quo Conciliorum generalium eorumque supra Pontificem superioritas confirmabatur.

1 Per suam revocationem decreti dissolutionis Concilii, nullatenus Eugenius confirmavit priora ipsius acta, neque quanta eis esset auctoritas definivit. Quamvis vero Synodum ipsam probaverit, circa tamen superioritatem Concilii et alia decreta sibi reservabat pro certo se explicare tempore magis propitio, tunc enim id facere non poterat.

2 Hoc attentatum rursus alienavit Eugenii animum.

Sessione decima nona cum legatis ab Imperatore Palaeologo missis, agitur de loco Synodi pro unione celebrandae. Vetatur communicatio cum Iudaeis; decreta de eorum compulsione ad verbum Dei audiendum ac de docendis ac discendis linguis orientalibus instaurantur; monentur Ordinarii de cura Neophytorum habenda, fideles vero omnes de subsidiis, quae iisdem ferenda sunt.

Sessione vicesima statuuntur poenae in Clericos concubinarios; nominatim vel notorie excommunicatos tantum vitandos esse decernitur: vetatur nequis locus subiiciatur interdicto ob culpam privatae personae, nisi haec nominatim excommunicata a loci domino vel magistratu fuerit retenta: reiicitur appellatio secunda ab interlocutoria, vel super eodem gravamine.

Sessione vicesima prima annatae pro beneficiorum et ordinum collatione, electionum confirmatione, postulationum admissione, aut pro praesentatione vel pallii concessione datae, ut simoniacae reprehenduntur et abrogantur [1]. Statuitur pacifico beneficii per triennium possessori, litem moveri non posse, eduntur decreta de modestia in divinis officiis et reverentia templis debita, ac de amissione distributionum quotidianarum.

Inter haec nova discordiarum procella incipit ingruere. Nuntii enim pontificii protestati sunt contra decretum quo abrogabantur annatae, hinc deputati Conciliares Mesnage et Bachenstein, qui ad Pontificem legati fuerant, duas allocutiones ad Pontificem ipsum Florentiae degentem habent, quarum prima probabatur, non in urbe Constantipolitana concludendam esse unionem cum Graecis, et ad felicem huius rei eventum easdem indulgentias dandas esse, quae pro Cruciata. Subinde de auctoritate Concilii supra Pontificem disserebatur. Alia vero allocutione con-

1 Verum in hoc, sicut in multis aliis decepti sunt Patres Basileenses, non enim exiguntur annatae pro collatione, confirmatione aut provisione beneficiali vel tamquam pretium pro re spirituali, aut spirituali annexa, sed solvuntur ex fructibus beneficiorum tum in agnitionem supremae potestatis quae in Pontifice residet, tum pro sustentatione tot officialium quibus Pontifex ad regendam universalem Ecclesiam indiget.

tinebatur cohortatio ad observantiam urgendam Decreti circa annatas, spondente Concilio, pro illis congruam Pontifici Maximo indemnitatem.

Eugenius potiusquam legatis respondere, Basileam misit Ambrosium Traversari Camaldulensium Generalem et Antonium de Vito causarum Auditorem, qui cum illuc pervenissent pro suprema auctoritate Pontificis Romani ac pro revocatione decreti circa annatas perorarunt. Et quamvis Cardinalis Iulianus eos confutare aggressus esset, multi tamen Antistites a Concilio abalienati, pro Pontifice stare coeperunt. Sigismundus ipse, pervidens non Episcopos esse qui Basileae decidebant, qui viginti tantum erant inter sexaginta membra, quorum alii inferiores clerici, alii etiam laici, ad Concilii dissolutionem opem suam coeperat impendere.

Sessione vicesima secunda damnatur libellus Augustini de Roma ex Ord. Eremit. S. Augustini cui titulus « de Christo et Ecclesia » in quo inter alia docebat, Christum quotidie peccare, quamvis id de membris eius intelligeret seu fidelibus.

In Sessione vicesima tertia decreta circa Pontificis electionem lata, ac leges ei praescriptae confirmantur. Iubetur Pontifex curiam reformare, immunitatem ecclesiasticam et Ecclesiae ditiones protegere, nullum e consanguineis aut affinibus Ducem vel Marchionem vel Feudatarium vel Provinciae aut Urbis gubernatorem constituere. Numerus Cardinalium ad 24 reducitur, qui ex omnibus nationibus assumantur et Theologiae aut ss. Canonum doctores sint. Gratiae expectativae, mandata ac Beneficiorum reservationes abolentur.

Sessione vicesima quarta pacta conventa cum Graecis, de celebrando in Occidente Concilio, confirmantur; publica eisdem fides datur, indulgentiae pro cruciatis dari solitae, conceduntur iis, qui in subsidium Graecorum tantum darent, quantum ipsi pro una hebdomada consumerent.

Sessione vicesima quinta oritur dissidium inter Patres de loco Synodi convocandae cum Graecis, pontificiis legatis et praesulibus plerisque Florentiam vel Utinum, aliis plerisque secundi ordinis Sacerdotibus, duce Ludovico Arelatensi Cardinali, Basileam aut Avenionem designantibus.

Sessione vicesima sexta cui noluit praesidere Iulianus, pars numero quidem maior, sed auctoritate minor, multorum criminum Eugenium accusat et in ius vocat pro arrogata sibi supra Concilium potestate. Interim vero Eugenius Bullam edit quae incipit « Doctoris Gentium » qua post expositam infoecunditatem Concilii Basileensis ac perversum Patrum spiritum, Synodum Ferrariam transfert, Basileensem dissolvit, datis 30 diebus ad quaestionem cum haereticis Bohemis absolvendam.

Sessione vicesima septima interdicitur Eugenio nova Cardinalium creatio, decretum nomine Synodi designans Florentiam Concilii Sedem declaratur falsum, prohibetur venditio aut oppignoratio civitatis Avenionis, quam pro Graecorum subsidio tentari a Pontifice erat suspicio.

Sessione vicesima octava cum elapsi essent sexaginta dies Pontifici ad comparendum dati, declaratur eius contumacia.

Sessione vicesima nona translatio Concilii a Pontifice facta habetur tanquam irrita, eamque revocare Eugenius iubetur, intentatis poenis. Prohibetur ne quis Eugenium audiat vel sequatur.

Sessione tricesima definitur fidei dogma de praesentia Christi in qualibet specie eucharistica, neque praecepto ullo adstringi non sacrificantes, ad communionem sub utraque specie.

Sessione tricesima prima duo eduntur decreta, quorum primo statuitur, ut causae in loco, ubi ortae sunt, iudicentur ac finiantur, exceptis causis maioribus; reiiciuntur appellationes ad Pontificem, praetermisso Ordinario. Altero autem prohibentur gratiae expectativae et iam datae revocantur: praescribitur praebenda theologica in

Ecclesia cathedrali; mandatur ut in omni cathedrali vel Collegiata Ecclesia, tertia beneficiorum pars graduatis et doctoribus, beneficia vero Regularia Regularibus conferantur. Eugenius declaratur contumax et ab omni iurisdictione suspenditur.

Ab hoc tempore seu ab ineunte anno 1438, Ludovicus Arelatensis Concilii praesidem agit. Nam Iulianus Cardinalis a Concilio discedens, se ad Eugenium Ferrariam contulit. Viderat enim omnia ad schisma ruere et Basileenses obfirmatos in proposito deponendi Pontificem, atque huius iniqui consilii particeps nullo modo esse volebat. Reliqui etiam Cardinales discesserunt.

Sessione tricesima secunda damnatur ac nullum edicitur Concilium Ferrariense; omnia eius acta et agenda irritantur; qui ei intersunt excommunicantur.

Sessione tricesima tertia cum magnus Episcoporum numerus Basilea secessisset, sedes ab ipsis relictae occupantur a Procuratoribus, Archidiaconis, Prioribus, Praepositis et Doctoribus. Tamquam veritas fidei statuitur Concilium generale habere potestatem supra Pontificem, nec ipsum posse prorogare, transferre aut dissolvere Concilium huiusmodi legitime convocatum: qui contrarium senserint, haeretici declarantur.

Sessione tricesima quarta pronuntiatur depositionis sententia contra Eugenium cum gravissimis calumniis.

Sessione tricesima quinta agitur de Concilii stabilitate et de electione novi Pontificis, pro qua duos menses expectandos decernitur.

Sessione tricesima sexta doctrina de Immaculata Conceptione deiparae Virginis tamquam pia, consona cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et sacrae Scripturae declaratur; contrarium praedicari aut doceri prohibetur: eius solemnitas secundum Romanae Ecclesiae aliarumque morem celebrari praecipitur; indulgentiae hanc celebrantibus impertiuntur.

Sessione trigesima septima declaratur, electionem novi Pontificis fieri in Concilio a Cardinali Arelatensi et triginta duobus electoribus, qui sint saltem diaconi, ac edicitur eam fore nullam, si duae tertiae partes non concurrerent.

Sessione tricesima octava nominantur Officiales pro conclavi ac die 17 nov. an. 1439 eligitur Pontifex Amedeus Sabaudiae dux, ante quinquennium Ripalliae Eremita factus.

Sessione tricesima nona vigintiquinque legati ad Amedeum mittuntur, ut suae electioni consentiat. Consensu praestito, nomen Felicis V suscepit.

Sessione quadragesima promulgatur consensus ab Amedeo obtentus atque ipse omnibus tamquam Pontifex honorandus proponitur, excommunicatione renuentibus intentata.

Sessione quadragesima prima Eugenii sententia contra Felicem eiusque fautores damnatur. Felix vero die 24 iulii consecratur Episcopus a Cardinali Arelatensi, et coronatur, tum Missam solemniter celebrat.

Sessione quadragesima secunda ad Felicis sustentationem in quinquennium designatur quinta pars proventuum ecclesiasticorum et decima pars in sequentibus annis.

Sessione quadragesima tertia Festum Visitationis Beatissimae Virginis iam a Bonifacio IX tempore schismatis institutum, decernitur celebrandum die 2 februarii.

Sessione quadragesima quarta deliberatur de actorum et personarum Concilii securitate; decernitur restituendos esse, qui ab Eugenio beneficiis fuerant privati.

Interea cum Francofordiensis conventus haberetur magna Principum frequentia, cui Fridericus ipse Caesar praeerat, ad eum accesserunt Legati Basileensium, sed iussi sunt antequam exciperentur, legationis insignia dimittere. Venerunt etiam ab Eugenio Pontifice missi Legati. Auditi sunt Basileenses sine arbitris per tres dies, ex quibus Panormitanus iuris consultus causam Basileen-

sium et Felicis fuse egit, Eugenii vero partes graviter tutatus est Cardinalis Cusanus. Scripta etiam argumenta sua unaquaeque pars reliquit. Deliberatum est in conventu, aliud Concilium indubitatum esse celebrandum.

Sessione quadragesima quinta decernitur Concilium post triennium Lugduni continuandum, ne tamen dissolutum iam penitus censeretur, Lausannam translatum declaratur.

Verum nec Lugdunense Concilium effectum habuit, nec Lausannense quidpiam memorabile gessit. Felix vero hortatu Friderici Caesaris ad pacem Ecclesiae reddendam antipapatu suo an. 1449 se abdicavit et Nicolaum V Eugenio defuncto suffectum, Pontificem legitimum agnovit.

CONCILIUM OECUMENICUM SEXTUMDECIMUM

FLORENTINUM

Qui Eugenium IV Pont. Max. Concilium Basilea avocantem secuti sunt Latini Patres una cum graecis Praesulibus, die 8 Ianuarii an. 1438 Synodum inchoarunt Ferrariae in Cathedrali Ecclesia S. Georgii, praesidente Pontificis nomine, qui nondum illuc accesserat, Nicolao Albergati Cardinali titulo S. Crucis in Hierusalem.

Ante graecorum adventum duae habitae sunt Sessiones. In prima die 10 Ianuarii, lectum est decretum translationis Concilii et probatum; ad haec declarata sunt nulla omnique plane vi destituta decreta, quae a Patribus Basileensibus publicarentur, exceptis iis, quae Bohemorum quaestionem attingerent, ac nullae poenae, quas ipsi ferrent in membra Concilii Ferrariensis. In altera vero Sessione, vulgatum est decretum synodale, quo Concilium legitime Ferrariam translatum edicebatur ac simul declarabatur, qua ratione Basileenses Patres sese gessissent erga Pontificem Max. et quomodo conati fuerant unionem cum Graecis impedire. Hinc Eugenius excommunicationem contra ipsos renovat omnibusque dignitatibus ac beneficiis eos privatos enuntiat. Iubentur insuper 30 dierum spatio Basilea digredi.

Inter haec cum Graeci Venetias appulissent, maximo cum honore a Duce et Senatu sunt excepti. Ibi Legatus Pontificis et Card. Iulianus Caesarinus Imperatorem et Patriarcham nomine veri Concilii salutant. Die 4 Martii Imperator Ferrariam pervenit, cui omnes Cardinales pluresque Principes obviam egressi, ipsum solemni pompa ad Eugenium Pontificem deduxerunt. Cumque Imperator ad osculum pedum procumberet, haud passus est Pontifex, sed humanissime erectum tenerrimo affectu est complexus. Peractis mutuae salutationis officiis, ad Palatium regio cultu praeparatum deductus est Imperator.

Die 7 Martii Patriarcha cum comitatu suo Ferrariam advenit, qui statim contra pedum osculum protestatus est. Eugenius ne huiusmodi controversia negotii cursum interverteret, deferendum quoad fieri posset Patriarchae ratus, quatuor Cardinales et 25 Episcopos misit, qui eumdem navi descendentem exciperent atque ad Palatium pontificium deducerent. Quo delatus ab Eugenio assurgente, amplexu ac pacis osculo salutatus est [1].

Graeci petunt statim ut non solum Occidentis Praesules, verum etiam Principes saeculares ad Concilium invitentur, quod Eugenius per litteras praestitit. Petunt insuper ut Imperator primum locum in Synodo teneat, secundum Pontifex. Multis disputationibus ultro citroque habitis statuitur, ut dextrorsum collocetur thronus Pontificis, pone vero thronus Imperatoris Germaniae, licet Sigismundus mortuus iam esset (9 dec. 1437) neque adhuc electus successor: ac deinde ex illo latere Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi Occidentalis Ecclesiae cum Abbatibus, Generalibus Ordinum ac Doctoribus assideant.

Sinistrorsum vero locus attributus est Graecis: hos inter primus sedebat Ioannes Palaelogus Orientis Imperator, cuius thronus e regione Throni Imperatoris Occidentalis situs erat: secundum ipsum Iosephus Patriarcha

1 Cfr. Syropulus *Hist. Conc.* d. 97 et *Hist.* Dorothei de Mitylene *apud Harduinum*.

ac deinceps Metropolitae et Episcopi. Aderant insuper Legati Alexandrinae, Antiochenae et Hierosolymitanae Ecclesiae, videlicet Antonius Metropolita Heracleensis et protosyncellus Gregorius Mamma Constantinopolitanus pro patriarcha Alexandrino; Archiepiscopi Marcus Eugenicus Ephesi et Isidorus de Kiew pro Antiocheno; Episcopus Sardiae Dionysius pro hierosolymitano; postremus hic cum paulo post decessisset, suffectus est per Dositheum de Monembasia.

Omittimus hic referre conventum publicum graecorum cum latinis pluresque de Purgatorio privatos, ut qui parandae solum materiae et cognoscendis opinionibus habiti sunt. Illud memorasse quoad haec sufficiat, quod praecipua discordiae capita erant quinque; processio nimirum Spiritus Sancti a Filio: additio particulae *Filioque* facta symbolo: purgatorium et status animarum ante diem iudicii: usus azymorum in Eucharistia et consecrationis formula: auctoritas S. Sedis et primatus Romani Pontificis. Quoad vero modum agendi hic placuit, ut ex utraque parte decem Commissarii seligerentur ad quaestiones examinandas et ad media proponenda unionis redintegrandae. Delecti sunt ex Graecis Marcus Eugenicus Archiepiscopus Ephesinus, Bessarion Arch. Nicaenus, Episcopi de Monembasia, de Lacedaemone et d'Anchialos, magnus chartophylax Balsamon et Syropulus cum duobus Abbatibus et uno Monacho, quibus Imperator addidit dynastam Emmanuelem Iagaris. Praestitutum est, ut ex horum numero bini tantum loquerentur, ceteri vero opem ferrent consiliis.

Ex parte Latinorum selecti sunt Iulianus Caesarinus et Nicolaus Albergati Cardinales, Andreas Archiep. Rhodius, Ioannes Turrecremata et alii sex.

In Sessione prima, die 8 octobris, quae habita fuit in sacello Palatii Pontificii, eo quod Eugenius morbo pedum laboraret, declaratum est hanc Synodum esse Oecumenicam, et recitata est oratio eloquentissima a Bessarione, graecorum doctissimo. Eadem vero die Eugenius Bullam

toto Orbi catholico dedit, qua indulgentia plenaria iis impertiebatur, qui expensis pro unionis Concilio obeundis stipem conferrent.

In Sessione secunda (die 11 octob.) Andreas Rodhius orationem habet; modus in disputando servandus decernitur, Graecis opponentium, Latinis defendentium munere delato.

In Sessione tertia Marcus Eugenicus contra additionem Symbolo factam a Latina Ecclesia invehitur, Latinisque defectum caritatis erga Ecclesiam Orientalem exprobrat. Respondet Andreas Rhodius nullam esse proprie loquendo additionem aut mutationem, sed solum explicationem articuli.

Sessione quarta eadem disputatio prosequitur.

Sessione quinta (16 oct.) Marcus Eugenicus symbolum Nicaenum legit eiusque confirmationem ab Ephesino Concilio, latam ac probat exinde nemini licere additionem ullam symbolo facere. Ad praevertendam vero obiectionem Latinorum subdit, etsi Concilium secundum Oecumenicum aliquid Nicaeno Symbolo addiderit, nondum latam eam legem fuisse, quae additiones prohibebat: hanc enim legem tulisse tertium Concilium Oecumenicum. Addit insuper quod symbola secundae Synodi aucta fuerunt ab haereticis. Nisus etiam est demonstrare vim illius legis ex Sess. V Concilii Chalcedonensis, et ex aliis Synodis usque ad septimam inclusive.

Produxerunt tunc Latini vetustissimum Codicem Concilii VII in quo additio illa inserta monstrabatur. At Gemistius Pletho observavit, quod si res ita se haberet, theologi latini, praecipue S. Thomas, ad Concilium illud provocassent.

In Sessione sexta (20 oct.) Iulianus Caesarinus conqueritur, quod Graeci contra conventiones, nullo in pretio haberent acta Concilii Oecumenici VIII, cui Eugenicus respondet, graecos illam Synodum non habere inter Oecumenicas. Per hanc declarationem Synodus VIII quae implicite

saltem additionem *Filioque* recognoscit, non poterat amplius contra Graecos proferri. Andreas Rhodius longa oratione adversarii assertiones confutat et sensum testimoniorum, quae Eugenicus protulerat explicat.

Sessione septima prosequitur Andreas Rhodius disputationem suam, quem tamen Iulianus saepe interrumpere coactus est, tum ad argumentationem eius contrahendam, tum ad declaranda quae minus clare proferebat. Veritatem quoque processionis probat Andreas ex Patribus Graecis, maxime ex Ioannis Chrysostomi hom. 38 in Ioan. ex Basilio in Canonicis Epistolis, ex Athanasio in Epist. ad Serapionem aliisque. Tum phrases veterum Conciliorum, Romanorum Pontificum et Patrum, quos Graeci citaverant explicat, atque Ecclesiam Romanam iure additionem illam fecisse, doctrinam Patrum Augustini, Ambrosii, Hilarii, aliorumque sequutus, demonstrat.

Sessione octava (1 nov.) Bessarion orationem suam exorditur asserens, quod licet additio illa dogmatice exacta esset, non debuisset tamen symbolo inseri, ut quae non deductione logica ex textu ipso, sed extrinsecus petita esset: propterea particulam illam additamentum proprie dictum esse adeoque Concilii III lege interdictam.

Sessione nona idem ad posteriora progressus, vindicare Patres a se laudatos et causas pro facienda additione allatas refutare conatur; asserit nec Concilio nec Ecclesiae universali fas esse vel explicationem symbolo addere; quaerit utrum statuta Conciliorum et interdicta Patrum de additamentis, spectent ad fidei symbolum an ad aliud quid extraneum. Huic quaestioni reposuisse nihil, sed sermone ad processionem Spiritus Sancti ex Filio probandam Andream dilapsum asserit.

Sessione decima succedens Andreae Ioannes Episcopus Foroliviensis, particulam *Filioque* probat 1) non esse additionem proprie dictam, sed solum dogmatis evolutionem: 2) eam vetitam non esse, cum non sit appositum contrarium aut diversum, sed conveniens et consonum; 3) prioris

generis apposita omnino prohiberi, posterioris vero Ecclesiae aut legitimae auctoritati interdicere Patres nec voluisse, nec potuisse.

Sessione undecima Iulianus Caesarinus ex legis controversae praeambulis, verbis ipsis et sequentibus, ex Symboli Nicaeni et Constantinopolitani admissa unitate, ex Praedatoriae et Chalcedonensis Synodi diversa circa hanc legem sententia demonstrat, verba prohibentia fidem alteram, intelligi oportere de fide opposita non de congrua declaratione. Hinc petit, omissa hac controversia, illud examinari verumne sit Spiritum Sanctum a Filio procedere, quo negato additionem illam illicitam, affirmato licitam esse constet.

Sessione decima secunda Marcus Eugenicus Iuliano respondet, et contortis cavillationibus conatur ostendere, tum quae Ephesi acciderunt, tum rationes ab ipso Iuliano allatas Latinis non favere. Cardinalis e contrario singulas Marci fallacias diluit et confutat atque ita concertatio modum disputationis induit. Iulianus post varias rationes, Cyrilli Alexandrini epistolam recitat, ex qua deducit Ephesinam Synodum noluisse interdicere mutationem in littera, sed tantum in fide. Frustra vero adnisus est Eugenicum deducere ad ipsum quaestionis caput, utrum videlicet particula *Filioque* doctrinam catholicam exhiberet necne.

Sessione decima tertia Burgundiae Ducis Legati ad Concilium recipiuntur. Cum vero nullum salutationis obsequium Imperatori post Pontificem, praestitissent, Imperator obtestatus est se a Synodo secessurum, nisi Legati id officii persolverent.

Sessione decima quarta Legati offensum Imperatoris animum placant: ad haec unus ex illis sermonem habet, quo Pontificem rogat nomine Ducis Burgundiae, ut pro viribus nitatur, unionem Ecclesiarum reducere ac praeterea ut conciliationem inire cum Patribus Basileensibus curet. Hisce peractis, instauratur disputatio inter Iulianum et Eugenicum, quae teste Iustiniani, tres dies tenuit.

Sessione decima quinta uterque disceptator prosequitur suam argumentationem, quae semper in eodem orbe versabatur. Quare plerique ex Graecis taedio affecti, reditum Constantinopolim meditantur: sed monente Imperatore, locum servant, et habito conventu tribuunt postulatis latinorum, ut ipsum examinetur dogma. Eodem tempore Imperator eos monet, consilium cepisse Pontificem transferendi Synodum Florentiam. Initio Graeci resistunt, at cum Pontifex eis exposuisset urgeri se pecuniae defectu, Florentinos vero ingentem auri summam praebituros, die 2 ianuarii 1439 consentiunt certis quibusdam conditionibus, ut nimirum non ultra quatuor menses negotiorum tractationes extrahantur Florentiae, utque ipsis maior pecuniae summa addicatur. Ceterum praeter has rerum angustias, aliae duae causae impellebant Eugenium Pont. ad translationem, scilicet epidemicus morbus et militaris incursus periculum, propter successus armorum Nicolai Piccinini.

Sessione decima sexta quae habita est in Ecclesia cathedrali, legitur Bulla translationis graece ac latine; graecis promissa summa penditur, atque alia Constantinopolim mittitur, prout ipsi expetiverant, ad muniendam contra Turcarum impetus civitatem.

Die 16 ianuarii Eugenius Ferraria digressus, Florentiam tendit. Statim Principes Occidentales monet de translatione eosque hortatur, ut Legatos suos Florentiam mittant. Post breve tempus Graeci etiam Florentiam perveniunt: protinus Sessiones continuantur in Coenobio S. Mariae Novellae Fratrum Ordinis Praedicatorum.

Sessione decima septima Iulianus Caesarinus dissertationem habet; post quam Imperator declarat, Graecis iuxta Eugenii votum placere, ut omissa quaestione an liceat quidpiam addere Symbolo, instituatur disputatio simpliciter dogmatica; attamen reservata sibi facultate ad primam quaestionem redeundi si opus sit. Latini conditionem non acceptant atque eorum nomine Iulianus ait, persuasum Latinis fuisse Graecos convictos omnino de quaestione

prima, quapropter si illam rursus agitare in animo haberent, id e vestigio aggrederentur. Tunc Imperator declarat suam mentem esse, ut non amplius de priore quaestione agatur, saltem publice.

Petierunt etiam Graeci ut non deliberaretur de quaestione dogmatica in Sessione solemni, at cum nullam huius rei rationem afferrent, auditi non sunt.

Sessione decima octava cui nec Imperator nec Patriarcha adfuerunt adversam valetudinem causati, Ioannes de Ragusa exorsus de processione loqui, praemissis ad significationem verborum quaesitis, hoc pacto arguit: a quo Spiritus Sanctus accipit esse ab eo procedit: dicitur autem Spiritus Sanctus accipere esse a Filio: ergo. Assumptionem ex Epiphanio in Anchorato, Basilio Serm. 5 contra Eunomium et Athanasio lib. 4 contra Arianos probat[1]. Eugenicus contextis sophismatis argumenti vim eludere nititur.

Sessione decima nona idem argumentum versatur circa textum Basilii.

Sessione vigesima disseritur adhuc de genuina lectione et sensu textus S. Basilii, cuius occasione vindicatur Zosimus a crimine falsi ob canonem Nicaenum de appellatione ad Rom. Pontificem.

Sessione vigesima prima confirmatur a Ioanne triplici argumento sensus Basilii iam agitatus et nova expositione textus geminus Athanasii.

Sessione vigesima secunda Marcus Eugenicus oppugnat primum argumentum et compellitur ad silentium.

Sessione vigesima tertia Marcus Eugenicus pro Graecorum dogmate fundamenta profert ex Scripturis, ex scriptis Pseudo Dionysii Areopagitae, Athanasii, Leontii, Ioannes vero ad priores textus S. Basilii allatos responsionem urget. At frustra. Eugenicus enim in proferendis textibus insistit. Tunc Ioannes latinorum dogma edicit, unam cau-

1 Conf. Emus Card. Hergenroether in *Vers. Mystagogiae Photii* p. 109, 242.

sam Filii et Spiritus Sancti esse Patrem nec duas Spiritus Sancti causas admittit. Placet haec formula Imperatori et in privato conventu illa utitur ad unionem sanciendam. Graeci hanc pro unionis medio admittere statuunt, cum idem asseratur in Epistola S. Maximi.

Sessione vigesima quarta Ioannes fundamenta Graecorum examinaturus, ducto a s. Scriptura initio, docet principaliter Patrem dici causam Spiritus Sancti, quia Filio vim spirativam communicat, causam Spiritus Sancti esse unam, quia una est vis spirativa in Patre et Filio; ostendit ex Leone, Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino et aliis occidentalibus, Spiritum Sanctum procedere per Filium; *per* autem praepositioni *ex* aequivalere.

Sessione vigesima quinta eamdem in rem Ioannes innumera testimonia profert. Graeci petunt ut exhibeatur *Codex*, ex quo citati textus eruti fuerant; post biduum exhibitus Codex in privato congressu in Ecclesia S. Francisci habito.

Post haec Eugenius Pont. Max. rogatus a Graecis Sessiones publicas suspendit.

Die 30 martii 1429 Patriarcha consilium cum suis Episcopis habuit, eosque ad deliberandum invitavit, an ante diem Paschatis posset unionis modus inveniri, an revertendum videretur Constantinopolim re infecta. Isidorus de Kiew et Bessarion pro unione loquuti sunt. Antonius Heracleensis et Marcus Eugenicus vehementer obstiterunt.

Die 31 martii Imperator ad Patriarchae aedes se contulit, ut suos Praesules ad unionem impelleret. Die 1 aprilis alius conventus habitus est, in quo statutum fuit, conferendos textus Patrum. Tunc unionis inimici fugam moliebantur, at Imperator eam impedivit. Die 10 aprilis, Graeci iterum convenere ac decreverunt Pontifici exhibere declarationem hanc « Discussiones ad nihil conducunt, si alius unionis modus superest, illum nobis exponite. Nos septem pro nobis Synodos habemus et nobis hoc sufficit. » — Pontifex reprehendit Graecos eo quod tam remisse pro

unione agerent et quatuor propositiones illis exhibuit videlicet 1) Vobis probatum est Spiritum Sanctum a Filio etiam procedere, si vos convenitis bene est, si dubia habetis ea exponite, ut nostras probationes complere valeamus. 2) Si ex ss. Scripturis contrarium probare potestis hoc facite. 3) Si textus certos ex ss. Scripturis habetis ad doctrinam vestram tamquam magis piam ac meliorem probandam, illos ostendite. 4) Si has propositiones non acceptatis censentimus adhuc ad aliam sessionem simul habendam, in qua quisque iusiurantum faciet aperte declarandi quod credit, et quod maïor pars probaverit, nos adoptabimus.

Post multas disputationes, Bessarion copiosissimam orationem pro unione habuit, ac triplicem Gregorius Scholarius. Postremo institutis per decem viros Graecos et Latinos congressibus, deliberatum est de unionis modo: Pluribus utrinque nequidquam propositis atque expensis, convenit tandem utraque pars quoad dogma de Spiritus Sancti processione; quoad vero additamentum vocis Filioque attinet, illud rite factum a Latinis, a Graecis omitti posse pro lubito conventum est: declaratum praeterea, hos dum Patri tribuunt processionem Spiritus Sancti ab hac non exclusisse Filium, sed duo tantum negasse principia, a qua principii dualitate admittenda, alienos se semper fuisse contestabantur Latini. Concordia itaque die 8 iunii an. 1439 est decreta.

Exinde actum est de reliquis capitibus habitisque aliquot congressibus, eo negotium feliciter est perductum, ut praeter doctrinam processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio statutum sit, conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Iesu Christi fieri vi verborum Domini; quatuor autem ad valorem huius sacramenti esse necessaria, materiam seu panem triticeum, sive fermentatum sive azymum: formam seu verba Christi; Ministrum rite ordinatum Sacerdotem et intentionem Ministri: haec Graecos credere, haec semper credidisse semperque credituros:

additum denique est unamquamque Ecclesiam debere iuxta consuetudinem suam consecrare, Latinos in azymo pane, Graecos vero in fermentato.

Definitum insuper animas eorum, qui in gratia Dei decedunt antequam pro peccatis per fructus dignos poenitentiae satisfecerint, purgarii poenis purgatori; non tamen determinatum quales sint eiusmodi poenae aut quis locus; easque suffragiis fidelium, Missae sacrificiis, orationibus, eleemosynis aliisque pietatis operibus iuvari posse. Sin autem post Baptismum homo decedat absque reatu culpae et poenae, aut a reatu poenae sive in corpore sive extra corpus fuerit sufficienter expurgatus, animam illius illico recipi in Coelum ad visionem beatificam et gloriam, diversam tamen pro meritis; in peccato mortali vero decedentes damnari ad aeternas inferni poenas pariter diversas.

Denique definitum est, Sanctam Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem primatu gaudere in universo Orbe, ipsumque esse Successorem B. Petri Apostolorum Principis et verum Iesu Christi in terris Vicarium, Patrem et Doctorem omnium Christianorum eique plenam potestatem pascendi regendique Ecclesiam universalem, fuisse collatam in persona B. Petri a Christo Domino. Secundum a Summo Pontifice esse Patriarcham Constantinopolitanum, tertium Alexandrinum, quartum Antiochenum, quintum Hierosolymitanum.

His quatuor articulis subscriptis, promulgatum est unionis decretum ab Eugenio Pont. Max. die 6 iulii 1439 per Bullam quae incipit: « Laetentur Caeli et exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam. »

Continuata per subsequens triennium Synodus Florentiae est usque ad an. 1442, quo anno Romam translata fuit, atque per Constitutionem quae incipit, *Moyses*, confutatae sunt praetensae veritates proclamatae a Patribus Basileensibus earumque auctores haeretici declarati. Depositio facta Pontificis ut inexpiabile scelus conclamatum

est, atque excommunicati et depositi omnes qui Conciliabulum illud constituebant. Aliae subinde uniones factae sunt. Sane cum Graeci Florentia discessuri essent, advenerunt Legati Patriarchae Armenorum petentes et ipsi unionem cum Romana Ecclesia. Cumque fidem suam diligenter exposuissent, variis disputationibus collationibusque probati, decreta tandem est eorum unio, atque ut constantes deinceps in ea persisterent, in Sessione secunda tulit Eugenius Decretum, sacro approbante Concilio, in quo haec complexus est.

1) Tradidit Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum cum particula *filioque*, quae ipsi deinceps inserta fuit ab Ecclesia romana, iussique sunt Armeni singulis dominicis saltem et solemnioribus festis illud in Ecclesiis canere vel legere.

2) Tradidit definitionem quarti Universalis Concilii Chalcedonensis, in quinto et sexto universali Concilio renovatam, de duabus naturis in una Christi persona.

3) Tradidit definitionem de duabus voluntatibus ac duabus Christi operationibus, in sexto generali Concilio latam.

4) Tradidit universales omnes Synodos, quae legitime celebratae fuerant sub auctoritate Pontificis, reverenter suscipiendas esse.

5) Tradidit Ecclesiae romanae praxim ac doctrinam circa septem novae legis sacramenta.

6) Tradidit compendiosam illam fidei regulam, quae incipit « *Quicumque vult salvus esse.* »

7) Tradidit Decretum unionis cum graecis initae in Concilio quodque incipit « Laetentur Coeli ».

8) Tradidit usum Ecclesiae Romanae circa dies quibus solemnia Annunciationis B. M. V., Nativitatis B. Ioannis Baptistae, Nativitatis et Circumcisionis D. N. Iesu Christi ac Praesentationis eiusdem in Templo seu Purificationis B. M. V. celebrari debeant.

Post pactam cum Armenis unionem, advenerunt Legati Patriarchae Orientalium Iacobitarum, qui hoc nomine distinguebantur a Iacobo Zanzelo natione Syro, Eutychetis et Dioscori sectatore. Hi etiam Legati postularunt suo et Iacobitarum omnium nomine, unionem cum Romana Ecclesia. Hinc Eugenius in sessione Generali III quae habita est die 4 februarii 1442, promulgavit Bullam, quae incipit *Cantate Domino* et Decretum Eugenii IV pro Iacobitis appellatur.

In hoc Deum in primis laudat quod intra triennium in hac S. Oecumenica Synodo saluberrimam trium magnarum nationum unionem effecerit. Exponit deinde Christianam fidem; damnat Sabellium, Arianos, Eunomianos, Macedonianos: enumerat libros Veteris ac novi Testamenti.

Damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photium, item Manichaeum, Valentinum, Aëtium, Apollinarem, Theodorum Mopsuestenum et Nestorium, Eutychen, Macarium Antiochenum. Profitetur legalia Veteris Testamenti cessasse et Novi Testamenti Sacramenta solum vigere, atque illa sine dispendio salutis aeternae servari non posse.

Profitetur neminem extra Ecclesiam catholicam posse salutem obtínere, licet pro Christi nomine sanguinem funderet. Recipit Concilium Nicaenum, Constantinopolitanum I, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II, Constantinopolitanum III aliaque Romani Pontificis auctoritate legitime congregata, celebrata et confirmata, ac praesertim Florentinum.

Inseruntur deinde integre huic Iacobitarum Instructioni decretum pro Graecis et alterum pro Armenis promulgatum. Explicatur forma sacramenti Eucharistiae. Quartae et ulteriores etiam nuptiae licitae declarantur, quamvis sicut virginitas viduitati, ita viduitas nuptiis sit anteferenda.

Tum vero Andreas Abbas S. Antonii in Aegypto Legatus Ioannis Patriarchae Iacobitarum, suo suorumque nomine, omnia in hoc Decreto contenta recepit.

Sessione quarta lectae sunt litterae Nicodemi Abbatis Aethiopum, Hierosolymis degentium ad Eugenium Pont. Max., qui oratorem miserat ut exponeret, Imperatori nihil potius esse quam ut suum Imperium cum Romana Ecclesia uniretur. Imo ipsemet Imperator scripserat ad ipsum R. Pontificem unionem flagitans et Legatos Romam destinans. Quae cum Pontifex in Sess. V Concilio annuntiasset, ut Conciliabulo Basileensi obluctanti resisteret, utque maior rebus agendis esset commoditas, Concilium Florentinum Romam transtulit ibique per plures adhuc sessiones continuavit in Basilica Lateranensi. In his unionem perfecit Eugenius non tantum cum Aethiopiae Imp. sed etiam cum Syriae et Mesopotamiae populis inter Tigrim et Euphratem colentibus, qui suos quoque legatos miserant, inter quos Abdala Archiep. Edessenus eminebat. Anno 1444 ac insequenti Decretum Unionis eodem Romano Concilio confectum est cum Nestorianis Orientalibus, qui Chaldaei vocabantur, et cum Maronitis, qui Macarii Antiocheni haeresim de una in Christo voluntate sectabantur.

CONCILIUM OECUMENICUM SEPTIMUMDECIMUM

LATERANENSE V.

Orto inter Iulium II Pont. Max. et Ludovicum XII Regem Christianissimum dissidio ac bello, sex Cardinales a Iulio ipso secessione facta, eo quod obligatam fidem de generali synodo congreganda non praestaret, Concilium Oecumenicum, ut aiebant, Pisis indixerunt atque inchoarunt. Iamvero Iulius II ut efficacius conciliabulum hoc (quod deinde Mediolanum, Taurinum, et Lugdunum translatum est) efficacius dissolveret ac ut Christianorum Principum pacem componeret, expeditionem contra Turcas promoveret, ecclesiaeque disciplinam restauraret, Synodum Oecumenicam indixit, quae Romae in Lateranensi Basilica congregata est die 10 maii an. 1512, absoluta vero die 13 Martii an. 1517.

Convenerunt Cardinales octodecim, duo Patriarchae Alexandrinus nimirum et Antiochenus, Episcopi septuaginta septem, quorum numerus consequentibus Sessionibus auctus est, Abbates et Generales Ordinum plures, praeter Oratores Regis Hispaniae et Reipublicae Venetae. Praesedit primis quatuor Sessionibus Iulius ipse, quintae, eo aegrotante, Raphael Cardinalis Ostiensis, reliquis vero septem Leo X Iulio defuncto suffectus.

In sessione prima Iulius Pont. oratione ad Patres Concilium aperit, causis eiusdem expositis: ostendit se Concilii Oecumenici convocandi semper fuisse cupidissimum, at non potuisse, donec bella iam sub Alexandro VI coepta finita essent ac sua Ecclesiae restituta bona. Exinde lecto Concilii Toletani canone de observandis in Synodo, officiales nominantur.

In sessione secunda, quae habita est die 17 maii, legitur Bulla qua Pisanum conciliabulum damnatur illiusque irritantur acta: Lateranense vero Concilium declaratur legitimum ac in Spiritu Sancto congregatum. Habita deinde oratio est a Thoma de Vio Caietano, qua explicans verba illa Apocalypsis « Vidi Civitatem, sanctam Ierusalem novam descendentem de Coelo » ostendit quinque conditiones hic insinuatas reperiri in Concilio Lateranensi, nullam vero in Pisano.

Sessione tertia habita die 3 decemb. legitur mandatum Maximiliani I. Imp. quo Episcopum Gurcensem Procuratorem suum pleno iure instructum, ad Concilium mittit eique potestatem dat nomine suo renuntiandi Concilio primum a Gallis Turonibus deinde Pisis coacto.

Procurator Caesareus revocat quodcumque mandatum concessum Conciliabulo Pisano omniaque illius acta irrita declarat, amplectitur Synodum Lateranensem tamquam legitime congregatam, declarat denique Caesarem numquam dedisse mandatum ad Conciliabulum Pisanum.

In eadem Sessione Iulius Pont. Galliam ac praesertim Lugdunum, quo Concilium Pisanum se receperat, interdicto subiicit, damnatque rursus eius acta. Denique Episcopus Malfetanus, oratione habita, conqueritur de his, qui ad Concilium non venerant.

In sessione quarta habita die 10 decemb. post lectum mandatum Leonardi Lauredani Venetiarum Ducis, quo Franciscum Foscarum Oratorem suum deputabat ut ipsius nomine Concilio Lateranensi interesset, leguntur litterae a Ludovico XI olim ad Pium II P. M. scriptae, quibus

Sanctio Pragmatica revocabatur, eademque decernitur reprobanda. Citantur Galli qui illam vellent defendere.

Sessione quinta habita die 15 febr. an. 1513 lectum est ab Episcopo Cumano Diploma Pontificis, quo confirmata est Constitutio ab eodem Iulio edita anno 1505, qua statuerat, ut siqua simonia in electione Summi Pontificis committatur vel ab electo vel ab eligentibus, electio ipsa nulla existat; contra ipsum ut haereticum agi possit et auxilium brachii saecularis implorari, ac tam ipse, quam qui simoniace eum elegerint aut eligi quomodocumque procuraverint, privati sint cardinalatu aliisque omnibus dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis. Qui vero Cardinales simoniae non consenserint, electionem alterius Pontificis agere possint [1].

Porro sexta die post hanc Sessionem lenta tenacique febre consumptus obiit Iulius II. nono Kalendas Martii sacramentis ecclesiae religiose perceptis Cardinalibusque monitis, ut Successoris deligendi cura penes ipsos esset, non penes Concilium [2].

In Sessione sexta habita die 28 aprilis, cui praesedit Summus Pontifex Leo X, lectum est mandatum procuratorium Reipublicae Florentinae suis Oratoribus datum Concilio assistendi eiusque Decretis adhaerendi. Deinde petita est a Procuratore Concilii citatio contra Gallos contumaces in causa Pragmaticae Sanctionis, nihil tamen Pontifex

1 Haec Constitutio in praxi difficilis et maiorum forte turbarum ac schismatum fomitem datura, in nonnullis capitibus a Patribus explicata, in aliis emendata fuit. Ceterum licet Ecclesia electionem simoniacam irritet, censuit tamen non raro satius esse acceptare Pontificem etiam illegitime electum, quam schismati occasionem praebere, quo in casu acceptatio Ecclesiae est quasi electio, supplens omnes defectus, qui sunt iuris humani.

2 Iulii II simultates cum Ludovico XII Galliarum Rege Scriptores varii pro uniuscuiusque affectione diversimode enarrant aliis Gallorum in Italia dominationem execrantibus, aliis Iulium accusantibus animi nimia ira adversus Galliam ebullientis et Principes contra ipsam sollicitantis. At vero illud indubitatum est, a Ludovico pessimum initum consilium, dum una cum Maximiliano Imperatore Conciliabulum vocavit ut Iulium II Pontif. in ordinem redigeret, quapropter cum Pontifex infensissimum Ecclesiae hostem schismatisque fautorem Ludovicum novisset, hinc ad ipsius vires attenuandas in eumdem Principes concitavit.

respondit, mitius cum eis agendum existimans. Postremo exclusis omnibus quibus facultas non erat deliberandi in Concilio, Pontifice ceterisque omnibus de more sacris vestibus indutis, lecta est ab Archiepiscopo Rheginensi Bulla Pontificia, sacro approbante Concilio, qua Pontifex Synodum et quae hactenus in ea gesta erant approbans declaravit, decrevisse se Concilium usque ad perfectionem causarum, propter quas fuerat indictum, prosequi. Consequentibus interim diebus, deputati sunt Patres, quorum alii de pace inter Principes christianos componenda agerent, alii de reformatione disciplinae, alii de abroganda Sanctione Pragmatica, alii de christiana republica contra Turcas defendenda.

Sessione septima (die 17. iunii) accedunt Legati Sigismundi Regis Poloniae, Maximiliani Ducis Mediolanensis, Francisci Marchionis Mantuani aliique, Cardinales vero Bernardinus Carvaiale et Franciscus Sanseverinus, quos Julius II Pontifex Max. cardinalatu privaverat, oblata eiuratione schismatis, qua suppresso Cardinalium nomine Conciliabuli Pisani acta et decreta damnabant ac illa Concilii Lateranensis amplectebantur ac Pontifici Leoni X obedientes futuros spondebant, veniam acceperunt.

Sessione octava (die 19. dec.) legitur mandatum Regis Francorum datum Friderico Cardinali Sanseverino, Claudio Seisello electo Episcopo Massiliensi atque Ludovico Forbio Domino de Soleriis procuratoribus suis, quo Pisano renuntiat Concilio, et Lateranensi tamquam vero, unico et legitimo adhaeret, simulque promittit effecturum, ut sex Praelati et quatuor Doctores ex praecipuis, qui Conventui Pisano interfuerant, ad Pontificem, nomine eiusdem Pisani Conventus eorumque qui ei adhaeserant, intra Kalendas Ianuarii venirent, ut illum adiurarent et veniam peterent, itemque venturos aliquot Praelatos et insignes viros nomine totius Ecclesiae Gallicanae, qui pariter Lateranensi Concilio adhaererent et assisterent.

Lecta pariter sunt mandata Marchionum Brandeburgensis ac Monferratensis.

Post haec legitur ex ambone per Archiepiscopum Gnesnensem Poloniae Primatem decretum Pont. Max. sacro approbante Concilio contra nonnullos Philosophos, qui ausi fuerant asseverare, quod anima rationalis mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus, saltem secundum Philosophiam. In eo damnat Leo ac reprobat *omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus et haec in dubium vertentes. Cum illa non solum vere et per se essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Canone Clementis Papae V in generali Viennensi Concilio edito continetur, verum et immortalis et pro corporum quibus infunditur, multitudine, singulariter multiplicabilis et multiplicata sit.*

Tum paulo post omnem assertionem huic veritati contrariam *omnino falsam esse* definit, *et ut aliter dogmatizare non liceat*, districtius inhibet; *omnesque huiusmodi erroneis assertionibus inhaerentes tamquam haereticos vitandos et puniendos fore* decernit.

Insuper omnibus et singulis Philosophis in Universitatibus Studiorum Generalium et alibi publice legentibus districte praecipit, ut cum *Philosophorum principia aut conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint seu explicaverint* (quale hoc *de immortalitate animae aut unitate et Mundi aeternitate ac aliis huiusmodi*), *tenerentur eisdem veritatem Religionis Christianae omni conatu manifestam facere et persuadendo pro posse docere.* Ad removendam vero omnem in praemissis errandi occasionem, statuit mox idem Pontifex et illud; ne quis de cetero in *sacris ordinibus constitutus in studiis generalibus vel alias publice audiendo Philosophiae aut Poësis studiis ultra quinquennium post grammaticam et Dialecticam sine aliquo studio Theologiae aut Iuris Pontificii incumbat: verum exacto dicto quinquennio, si illis studiis insudare vo-*

luerit liberum sit ei, dum tamen simul seorsim Theologiae aut sacris canonibus operam navaverit, ut in his sanctis et utilibus professionibus Sacerdotes Domini inveniant unde infectas Philosophiae et Poësis radices purgare et sanare valeant. Concludit demum ac mandat Pontifex et quidem in virtute sanctae obedientiae *hos Canones per Ordinarios locorum et Rectores Universitatum, singulis annis in principio studii publicari.*

Tandem lecta est Constitutio de mittendis ad Reges et Principes Cardinalibus pro pace et concordia inter eos redintegranda et pro Bohemis haereticis ad Concilium invitandis.

Sessione nona accusatur contumacia Antistitum Gallorum, ac excusata vicissim eorum absentia ob negatum transitum, veniendi terminus prorogatur.

Editur Bulla reformationis qua decernitur 1) ut tantum idonei promoveantur 2) ut Episcopus aut Abbas non iudicetur nisi auditus, 3) ut Monasteria deinceps nulla dentur in commendam 4) ut uniones perpetuae non fiant extra casus in iure expressos et rationabilem causam 5) ut non dispensentur in possidendis pluribus, quam duobus beneficiis incompatibilibus, nisi magna et urgens necessitas exigat 6) ut Cardinales (quos declarat Synodus summo Pontifici proximos esse dignitate) non resideant extra Curiam Romanam 7) ut Magistri pueros in virtute et doctrina diligenter instruant. 8) Renovantur Constitutiones contra Simoniacos. 9) Decernitur ut siquis post sex menses ab obtento beneficio, divinum officium non dixerit, non tantum teneatur restituere fructus pro rata temporis, sed etiam si contumaciter pergat omittere, monitione praevia, privetur beneficio.

In Sessione decima approbantur Montes Pietatis et sub excommunicatione prohibentur impugnari. Decernitur ut nullus prodeat liber, nisi ab Ordinario vel Inquisitore approbatus, et ab Episcopis in prima instantia extra Romam decidantur causae beneficiales.

In sessione undecima promulgatur celebris Bulla « Pastor Aeternus » in qua abrogatur Sanctio Pragmatica Gallicana atque asseritur, Pontificem super omnia Concilia potestatem habere ac plenum ius illa indicendi, transferendi ac dissolvendi. Approbatur Concordatum a Leone X cum Francisco Galliae Rege initum Bononiae [1]. Editur Constitutio de praedicationis et praedicatorum sacrorum conditionibus; Religiosorum privilegia dignitati Episcoporum attemperantur.

In Sessione decima secunda excommunicantur qui, tempore electionis novi Pontificis, Cardinalium domos invadunt. Decimae ecclesiasticae per triennium contra Turcas decernuntur.

Haec Concilii Acta Leo X speciali Bulla confirmavit.

1 Celebrius huius Concilii monumentum est *Concordatum* Sanctioni Pragmaticae suffectum. Erat haec collectio triginta et octo decretorum, quae Concilium Basileense circa Romani Pontificis iura et privilegia, Conciliorum auctoritatem ac tempus, Praelatorum electiones, beneficiorum collationes et reservationes, beneficiatorum qualitates et officia, iudiciorum et appellationum ecclesiasticarum usum ac modum aliaque disciplinae ac morum capita, vario sub statu ac diversis in sessionibus ediderat, et quas Rex Galliae Carolus VII. in Conventu Bituricensi an. 1438 celebrato firmaverat et in Senatu Parisiensi promulgaverat.

Hanc Sanctionem Ludovicus XI. an. 1462 resciderat, ut quae auctoritatem Sedis apostolicae infringeret, Galli vero deinde restauraverant; donec inter Franciscum I et Leonem X Bononiae conveniret, sanctione abrogata, Concordatum novum substituere.

In hoc omissa sunt quae contra Pontificis iura et pro Conciliorum auctoritate fuerant edicta; retenta quae mores et disciplinam, iudicia et appellationes spectabant; nonnihil temperata, quae pro graduatis ad beneficia promovendis constituta fuerant; immutata autem dignitatum ecclesiasticarum ratio.

Sane sublata electione, concessum Regi est ius nominandi Episcopos, Abbàtes aliosque Praelatos, exceptis tamen Ecclesiis speciali electionis privilegio a Sede Apostolica impertito gaudentibus, modusque circa tempus et conditiones nominandi praescriptus; e contrario reservationibus et expectativis sublatis, Pontifici conservata est nominatorum confirmatio, vacantium apud Sanctam Sedem provisio et Annatarum perceptio.

Solemnis haec Conventio a Clero et *Parlamento* Gallicano nonnumquam impetita, quin nec a successoribus Galliae Regibus integre semper custodita fuit. Ultra etiam limites sanctionis pragmaticae antiquatae, Ludovicus XIV progressus est, dum anno 1675 beneficiorum ecclesiasticorum collationum ac perceptionem fructuum ex beneficiis vacantibus, tamquam ius Regale et Maiestaticum usurpare contendit, ex quo magnae illae *Regaliarum* controversiae ortum duxerunt. Sed iis tandem sopitis, restituta in integrum sunt Concordata, agnitum ius nominandi tamquam concessum a potestate ecclesiastica privilegium, annatae Pontifici permissae.

CONCILIUM OECUMENICUM DECIMUMOCTAVUM

TRIDENTINUM

Ut Lutheri aliorumque novatorum haereses, quae late serpebant, iudicio publico atque insigni nota condemnarentur, ut pax inter principes statueretur, et Cleri populique Christiani mores refingerentur, Paulus III R. P. Generale Concilium indixit primum Mantuae, deinde obiectis a Mantuano Duce impedimentis, Vicentiae, ac tandem cum Veneti, ne Solimano suspicionem aliquam ingererent, Vicentiam aegre permitterent, Tridenti anno 1542, in qua urbe nonnisi post triennium inchoatum est, labente scilicet anno 1545. Praesederunt Pontificis nomine, Ioannes Maria de Monte, Marcellus Cervinus et Reginaldus Polus Cardinales — Post sessiones octo ob pestilentiae ingruentis metum, Concilium Bononiam translatum est, novisque impedimentis ex formula *Interim* enatis, per quadriennium suspensum.

Iulius III, Pauli III successor, sacram Synodum Tridentum reduxit, eique praesides constituit Marcellum Cervinum Card. Sebastianum Pighium Archiepiscopum Sipontinum et Aloisium Lippomanum Episcopum Veronensem. Post sessiones sex, ob armorum tumultus in Germania subortos, nova suspensio ad biennium decreta fuit, quae sub Marcello II et Paulo IV decem fere annos duravit. Tandem a Pio IV Concilium instauratum est, ac sub eo-

dem feliciter absolutum et confirmatum anno 1563. Interfuere per illius decursum Cardinales Legati septem et alii duo, Archiepiscopi tres, Episcopi 235, Oratores et Legati Imperatoris Ferdinandi, Regum Galliae, Hispaniae, Lusitaniae, Hungariae et Boemiae, Poloniae, Reipublicae Venetae, septem Pagorum Helveticorum, Ducum Bavariae, Sabaudiae, Florentiae et aliorum Principum etiam Ecclesiasticorum, denique Theologi et Iurisconsulti ex praecipuis orbis christiani partibus selectissimi plusquam centum.

Brevitatis causa, sessionum, Canonum, ac decretorum seriem paucis perstringemus, doctrina enim in his contenta in ore omnium versatur omniumque catholicorum animis alte defixa insidet.

Sessione prima legitur convocationis Bulla; declaratur Concilium esse Oecumenicum, incipere et incoeptum esse: fit cohortatio ad Patres.

Sessione secunda editur decretum de ratione vivendi deque aliis in Concilio servandis.

Sessione tertia cum in dies expectarentur Episcopi, nihil novi decernitur, sed edicitur, praemittendam esse fidei confessionem et Nicaenum symbolum proponitur.

Sessione quarta duo promulgantur Decreta; quorum primum de Canonicis Scripturis, suscipit et veneratur Sacras Scripturas tum V. quam N. Testamenti nec non traditiones ad fidem et mores pertinentes, tanquam a Christo vel a Spiritu Sancto dictatas, in Ecclesia continua successione conservatas; statuit deinde ac refert censum Librorum Sacrorum in Vulgata editione exstantem, ac anathema pronunciat in eos, qui hos libros ut sacros non suscipiunt, aut traditiones praedictas contemnunt. Secundum agit de editione et usu Sacrorum Librorum, declarat versionem vulgatam authenticam, prohibet Scripturae interpretationem contra sensum Ecclesiae, aut unanimem Patrum consensum; vetat impressionem librorum sacrorum vel de sacris tractantium sine facultate Ordinarii et sine nomine

auctoris: postremo verborum sacrae scripturae abusum cum ad facetias, iocos, incantationes et similia adhibentur.

Sessione quinta actum est de peccato originali ac definitum fuit 1) Adamum per divini mandati transgressionem, excidisse a sanctitate et iustitia in qua constitutus fuerat, incurrisse iram Dei et hinc mortem: secundum corpus et animam in deterius mutatum. 2) Adamum non sibi solum, sed suae etiam propagini secundum corpus et animam nocuisse: 3) eiusdem peccatum origine unicum, propagatione transfusum omnibus, inesse cuilibet proprium, tolli solum per merita Christi per baptismum applicata: 4) Parvulos esse baptizandos et propter peccatum originale egere baptismo: 5) per Baptismi gratiam id totum tolli, quod veram et propriam peccati rationem habet et baptizatos fieri novos secundum Deum homines: in iis tamen manere concupiscentiam ad agonem, quae verum ac proprium peccatum non est, quamvis aliquando peccatum vocetur, quia ex peccato est et ad illud inclinat. Subiicitur Concilii intentionem non esse, hoc decreto comprehendere B. et Immaculatam Virginem Mariam, sed observandas Sixti IV ea de re Constitutiones. Post haec fertur Decretum de reformatione duo Capita complectens.

In 1) capite sancitur ut in illis Ecclesiis, in quibus praebenda aut praestimonium seu aliud quodvis stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi Primates aliique Ordinarii cogant ea obtinentes, ad suum officium exsequendum per se ipsos vel per idoneum substitutum ab Ordinariis eligendum.

2) Declaratur lectionem sacrae Scripturae instituendam esse in Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, nec non in Collegiatis insignium oppidorum, si clerus ibi numerosus fuerit; idque per assignationem praebendae, quae ad id specialiter deputetur; et in huius defectu per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, vel per contributionem beneficiatorum civitatis vel Dioecesis.

3) Statutum est ut Ecclesiae, quarum annui proventus tenues sunt et exigua cleri populique multitudo, habeant saltem magistrum, qui clericos aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut iis ad altiora studia aditus pateat.

4) Praescriptum est in Monasteriis etiam Monachorum et Regularium conventibus lectionem Sacrae Scripturae habendam esse: mandatum quoque est Episcopis ut negligentes Abbates ad hoc compellant.

5) Statuitur neminem ad lectionis scripturae officium admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus et scientia examinatus non fuerit, exceptis lectoribus Monachorum.

6) Decernitur docendam esse scripturam etiam publicis in Scholis et Lectores et Clericos eam addiscentes, frui debere perceptione fructuum praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a iure communi concessa.

In capite II declaratum fuit 1) Episcopos per seipsos teneri ad praedicandum Iesu Christi Evangelium et ubi legitime sint impediti, per substitutos. Atque idem sancitum de his, qui curam animarum habent.

2) Declaratum fuit Regulares, nisi sint a superioribus suis approbati ac facultatem obtinuerint ab iisdem, praedicare non posse, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum 3) declaratum fuit Regulares non posse praedicare, sine Episcopi licentia extra Ecclesias suorum Ordinum, imo nec in Ecclesiis suorum Ordinum, nisi petita ab Episcopis benedictione: si Regulares scandala aut haereses disseminent, posse Episcopum tamquam delegatum Sedis Apostolicae, contra eos procedere secundum iuris dispositionem. 4) Prohibetur quaestoribus eleemosynariis praedicatio sive per se, sive per alios facta.

Sessione sexta editum est Decretum de iustificatione, quo statuitur 1) ad iustificationem perveniri non posse per vires naturae, aut legem Mosaicam, licet liberum arbitrium non sit extinctum, sed tantum attenuatum et inclinatum: 2) ad hanc potestatem vero praestandam, Filium a Patre esse missum: 3) per huius merita renatos in Christo iustificari, sicut ex Adamo nati eius iniusti-

tiam contrahunt, non omnes, sed quibus Christi meritum communicatur, mortis eius beneficium percipere: 4) Iustificatio dicitur a Concilio translatio a statu iniustitiae in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei: haec translatio prima nunc fieri nequit sine Baptismo aut eius voto: 5) in adultis praeparatio ad iustificationem fit per gratiam excitantem et adiuvantem, eidem libere assentiendo et cooperando, cum illam possit homo abiicere: 6) dispositio autem fit per fidem, timorem divinae iustitiae, et spem, fidendo Deum propter Christum fore propitium, et incipiendo diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem, excitato propterea odio et detestatione contra peccatum, seu poenitentia, et proposito suscipiendi Baptismum et servandi mandata: 7) docetur hanc dispositionem sequi iustificationem, quae non est sola remissio peccatorum, sed sanctificatio per susceptionem gratiae et donorum; eius causam *finalem* esse gloriam Dei et Christi ac vitam aeternam, *efficientem* Deum, *meritoriam* Christum, *instrumentalem* Baptismum, *formalem* iustitiam Dei, non qua ipse est iustus, sed qua nos vere iustos facit, iustitiam in nobis recipientes secundum propriam dispositionem: cum iustitia nobis inhaerente simul infundi fidem, spem, et caritatem sine quibus fides mortua est: 8) dici nos tamen iustificari per fidem, quia fides est salutis initium, fundamentum et radix iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo; item iustificari gratis, quia iustificationis gratiam non meremur per nostram praeparationem: 9) definitum est neminem posse scire certitudine fidei seu infallibili, se gratiam Dei esse consecutum, neque hoc, ut quis iustificetur, debere credere: 10) augeri gratiam iustificantem per bona opera et observantiam mandatorum 11) haec observare iustificatum posse ac debere, qui quamvis in levia et quotidiana peccata quandoque cadit, non desinit esse iustus, nec in quolibet opere peccat; fidem solam non sufficere: 12) citra specialem revelationem neminem pro certo scire, an sit praedestinatus. 13) Similiter de perseveran-

tiae munere, neminem sibi aliquid certi polliceri absolute posse; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debeant; 14) iustificationem post baptismum lapsi, fieri per distinctum a Baptismo Sacramentum poenitentiae; hanc praeter cessationem a peccato et huius detestationem, continere confessionem saltem in voto, absolutionem et satisfactionem per pietatis exercitia pro poena temporali, quae non tota semper, ut in Baptismo, statim hic remittitur; 15) per peccatum mortale quodcumque, amitti gratiam iustificationis, non tamen fidem, nisi sit peccatum infidelitatis 16) iustificatum exercere opera bona, quae per gratiam Christi facta sunt meritoria vitae aeternae, quae tamquam merces et corona iustitiae a Deo illis est promissa; neminem tamen in se ipso confidere debere aut gloriari, sed in Domino, cuius est bonitas, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona.

Post ista Capita editi sunt Canones 33 contra *Lutherum* et *Calvinum*.

Fidei explicationi, Concilium subiicit Decretum de Reformatione decernitque.

1) Teneri Praelatos ad personalem residentiam et decernit poenas contra inobedientes ita ut si per sex continuos menses fuerint absentes absque legitima causa a suis Ecclesiis, multentur quarta fructuum parte unius anni, Ecclesiae et pauperibus loci applicanda, quae poena adhuc magis asperata fuit Sess. XXIII. C. I. — 2) Nulli beneficium obtinenti quod personalem residentiam exigat, abesse licet nisi iusta de causa ab Episcopo approbanda, qui in casu curae animarum Vicarium substituere debet, subducta parte fructuum 3) decernit excessus Clericorum ac Regularium degentium extra Monasterium corrigi debere ab Ordinario loci, tanquam Sedis Apostolicae Delegato. 4) Capitula Cathedralium et aliarum maiorum Ecclesiarum illarumque personas, nullis exemptionibus, consuetudinibus tueri se posse, quominus ab Episcopis et aliis maioribus Praelatis, quoties opus fuerit, visitentur. 5) Decernit Episcopum in aliena Dioecesi nec pontificalia exercere, nec ordines conferre posse sine expressa Ordinarii licentia.

Sessione septima conduntur Canones tum de Sacramentis in genere, tum speciatim de Baptismi et Confirmationis Sacramento, ac 1) anathema dicitur illi, qui dixerit, Sacramenta Novae Legis non fuisse omnia instituta a Christo, aut esse plura vel pauciora quam septem, aut aliquod ex iis quae a Concilio recensentur, non esse verum et proprium: 2) illa non differre a Sacramentis veteris legis, nisi quatenus sunt alii ritus aut caeremoniae: 3) nullum alio esse dignius: 4) illa esse superflua et non necessaria ad salutem: 5) esse instituta solum ad fidem nutriendam: 6) ea nec continere nec conferre gratiam, sed signa tantum esse externa gratiae per fidem acceptae, et notas christianae professionis: 7) per illa non semper conferri gratiam, licet suscipiantur rite ac sine obice: 8) ex opere operato per ea non conferri gratiam: ad hanc obtinendam sufficere Fidem promissionis divinae: 9) in Baptismo, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem, unde illa iterari non possunt: 10) Christianos omnes habere potestatem administrandi sacramenta 11) in Ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: 12) Ministrum peccato mortali affectum non conficere aut conferre sacramentum, licet omnia essentialia servaverit: 13) Ecclesiae ritus in solemni Sacramentorum administratione posse contemni aut sine peccato omitti, aut a quocumque Pastore in alios mutari.

Speciales canones de Baptismo anathematizant eum qui dixerit 1) Baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi: 2) aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi: 3) in Ecclesia romana non esse veram de Baptismo doctrinam: 4) Baptismum ab haereticis sub debita forma ac intentione collatum, non esse baptismum verum: 5) Baptismum, non necessarium ad salutem: 6) Baptizatum non posse amittere gratiam nisi peccato infidelitatis: 7) eumdem, vi Baptismi, fieri debitorem solius fidei, non potius legis Christi servandae: 8) Bapti-

zatos liberos esse ab omnibus Ecclesiae praeceptis, nisi se sponte illis subiecerint: 9) vota post baptismum facta, esse irrita: 10) peccata post baptismum commisa, sola recordatione et fide Baptismi suscepti dimitti aut venialia fieri: 11) in apostata ad poenitentiam converso, iterandum esse baptismum antea rite susceptum: 12) Neminem esse Baptizandum, nisi sit aetate Christi baptizati, aut in mortis articulo: 13) Parvulos, actum fidei non elicientes, suscepto Baptismo, inter fideles non esse computandos, ideoque rebaptizandos, cum ad discretionis annos pervenerint, aut praestare Baptismum omittere, quam baptizare actu non credentes: 14) Baptizatos parvulos, ubi adoleverint, suo arbitrio esse relinquendos, si quod Patrini nomine eorum in baptismo promiserunt, habere postea ratum nolint.

Denique Canones de Confirmatione, execrantnr illum qui dixerit 1) Confirmationem esse otiosam caeremoniam, aut olim nil fuisse aliud quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi rationem Fidei suae coram Ecclesia exponebant: 2) Iniurios esse Spiritui Sancto qui sacro chrismati virtutem aliquam tribuunt: 3) Quemvis Sacerdotem simplicem esse ordinarium confirmationis ministrum.

Post fidei definitionem statuta sunt quindecim capita ad disciplinam spectantia, quibus determinatum est:

1) Ad regimen ecclesiarum cathedralium assumendos esse legitime natos, probos ac doctos: 2) teneri illos qui plures cathedrales Ecclesias vel in titulum, vel in commendam habent, omnes una excepta dimittere, alias ipso iure omnes vacant, excepta ultima. 3) Sancitum fuit dignis tantum personis beneficia inferiora conferri debere, praesertim curata. 4) Determinatum fuit simul haberi non posse plura incompatibilia beneficia et plurium detentorem contra canones, ipso iure iis privari. 5) Sancitum fuit quod plura beneficia curata obtinentes, suas dispensationes Ordinario exhibere debent, qui ut cura animarum non negligatur, idoneis vicariis easdem Ecclesias provideat, congrua portione fructuum assignata: 6) Declaratum fuit uniones beneficiorum certo ante tempore factas examinari debere ab Ordinario,

faciendas aut effectum nondum sortitas, legitimam causam et Ordinarii iudicium habere, alias irritae declarentur. 7) Sancitum fuit ut beneficia Ecclesiastica unita visitentur quotannis ab Ordinario, ut per vicarios etiam perpetuos cura animarum exerceatur, cum tertia parte fructuum assignanda etiam super re certa. 8) Statutum fuit ut Ecclesiae etiam exemptae ab Ordinariis locorum singulis annis visitentur, quae reparatione indigent reparentur et cura animarum illis imminens sollicite exerceatur. 9) Statutum est ad maiores Ecclesias promotos consecrationem non differre debere ultra sex menses. 10) Iussum est ut, sede vacante, nulli dentur a Capitulo intra annum a die vacationis, dimissoriales litterae, nisi arctatis ad ordines suscipiendos, occasione beneficii obtinendi vel obtenti. Si Capitulum contraveniat, subiicitur interdicto, et sic ordinati ab executione Ordinum iure ipso suspenduntur ad beneplacitum futuri Praelati. 11) Statutum est in litteris dimissoriis exprimendam esse causam ob quam a proprio Episcopo ordinari non possunt, nec ordinandos esse sine praevio examine. 12) Facultatem de non promovendo, annum non excedere, exceptis casibus a iure expressis. 13) Cautum est ut electi, praesentati aut nominati ad beneficium, non instituantur sine praevio examine Ordinarii et approbatione, exceptis electis seu nominatis ab Universitatibus seu Collegiis generalium studiorum. 14 Declaratum fuit causas civiles exemptorum extra locum exemptum, ab Episcopo cognosci. Demum cap. 15 cautum est, ut Ordinarii curent, hospitalia quaecumque, etiam exempta, a suis administratoribus fideliter gubernari.

Sessione VIII ob grassantem morbum contagiosum decernitur translatio Concilii Bononiam a duabus Patrum tertiis partibus: altera tertia quae ex hispanis et caesarianis constabat contradicente et repugnante.

Iam alias saepius de hac translatione actum fuerat, urgentibus etiam Legatis Apostolicis, tum propter tumultus belli smalcaldici haud procul insonantis, tum fortassis ob privatas rationes et ut Romae propiores essent si Pontificem octogenarium mori contingeret.

Ne renovaretur tristis scena Basileae olim acta, prudens moderatio fecit, ut minor pars etiamsi Tridenti consisteret cum Card. Paceco a Sessionibus celebrandis abstinuerit.

Sessio nona ab advectis Bononiam Patribus habita est: verum ob Praesulum paucitatem decretum fuit conciliarem conventum ad binos menses differendum.

Sessione decima ex eadem causa dilatio in tertium mensem producta. Statuitur tamen proxime pertractandam esse Sacramentorum materiam. At trimestris prorogatio in quadriennalem suspensionem abiit. Cuius rei causas, ne Sessionum ordo interturbetur, in Appendice I. exponimus.

Sessione undecima editur Decretum de resumendo Concilio Tridentino atque a Iulio III in locum demortui Pauli III Pont. Max. creato, nominantur Praesides Cardinalis Crescentius ac duo Episcopi.

Sessione decima secunda promulgatur Decretum de proroganda ulterius Sessione ob absentiam maioris Praelatorum partis, praesertim nationis germanicae.

Sessione decima tertia praesidente nomine Iulii III Card. Crescentio cum Pighio Archiep. Sipontino, Aloisio Lipomano Ep. Veronensi et Card. Madrucio Ep. Tridentino, editum est Decretum de Eucharistiae Sacramento in quo exponitur 1) Post panis et vini consecrationem Christum esse vere, realiter ac substantialiter praesentem in Eucharistia sub illarum rerum sensibilium specie.

2) Institutum esse hoc Sacramentum a Christo in sui memoriam, in spiritualem animarum cibum, in antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a mortalibus praeservemur, atque in pignus futurae gloriae, et symbolum unitatis.

3) Sacramentum hoc caeteris praecellere quod ipsum sanctitatis auctorem Christum contineat, qui statim post consecrationem et ante usum, est praesens vi quidem verborum eius corpus sub specie panis et sanguis sub specie

vini, vi naturalis autem connexionis, qua partes Christi iam non amplius morituri inter se copulantur, anima sub specie utraque, vi demum unionis hypostaticae divinitas. Tantumdem esse sub specie una, quantum sub altera et utraque, totus enim et integer Christus sub qualibet specie et quavis speciei parte existit.

4) Per consecrationem fieri conversionem totius substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, et hanc conversionem convenienter et proprie transubstantiationem vocari.

5) Latriae cultum huic Sacramento esse exhibendum, ideoque convenienter institutum festum Theophoriae.

6) Consuetudinem asservandi in Sacrario Sanctam Eucharistiam et eam deferendi ad infirmos, salutarem et necessariam esse.

7) Eam probationem esse necessariam, ut nullus conscius sibi peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione accedat, idque de Sacerdotibus etiam esse intelligendum si adsit copia Confessarii. Si autem necessitate urgente Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

8) Triplici modo posse sumi hoc sacramentum seu *sacramentaliter* tantum a peccatoribus, *spiritualiter* tantum per votum seu desiderium, *sacramentaliter* et *spiritualiter* simul, cum scilicet Sacramentum vere et in statu gratiae suscipitur. Communionem a Sacerdote laicos accipere oportere, celebrantes a se sumere, fideles omnes frequenter eam suscipere debere.

Post haec Concilium undecim Canonibus errores oppositos proscribit. Subiungit vero octo capita de reformatione quae consequuntur:

1) Episcopi subditos prudenter h. e. suaviter et fortiter regant: prohibetur appellatio a sententia interlocutoria Episcopi aut Vicarii ante sententiam definitivam in causis visitationis et correctionis aut criminalibus.

2) Quando a sententia Episcopi ad Pontificem Max. appellatur, et is causam appellationis vult alicui in partibus committere seu delegare, Metropolitano committat, qui si suspectus fuerit, vel ultra duas dietas distet, vicinioribus Episcopis aut Vicariis, non vero inferioribus iudicibus committenda est.

3) Acta primae instantiae intra triginta dies gratis dentur reo appellanti; alias absque illis Iudex *ad quem* poterit procedere.

4) Si determinatus a ss. canonibus Episcoporum numerus Clerici depositioni ac degradationi assistere nequiverit, totidem assistant Abbates, aut iis deficientibus, aliae personae in dignitate constitutae.

5) Gratia remissionis poenae obreptitie vel subreptitie obtenta, a concedente revocetur.

6) Episcopum personaliter citari prohibetur, nisi ob causam depositionis aut privationis.

7) Testes contra Episcopum non admittantur, nisi idonei et graves.

8) Causae de Episcoporum personis ad Pontificem Max. deferantur et coram eo terminentur.

Post haec cautio seu fides publica, quam salvum conductum vocant, Protestantibus data fuit.

Sessione decima quarta actum est de Poenitentiae et Extremae Unctionis Sacramentis. Quoad primum docetur 1) poenitentiam semper peccatoribus fuisse necessariam, elevatam tamen esse ad rationem Sacramenti a Christo post resurrectionem, dum insufflavit in discipulos dicens « Accipite Spiritum Sanctum » atque in illius institutione Christum Sacerdotibus potestatem dedisse remittendi et retinendi peccata, ac Novatianos ideo fuisse damnatos quod eam potestatem Ecclesiae denegarent.

2) Poenitentiae Sacramentum esse lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis necessarius est Baptismus ipse. Sacramentum vero poenitentiae a Baptismo differre quoad materiam, formam, Ministrum, effectum et conditiones, et per Poenitentiae Sacramentum lapsum non pervenire ad acceptam per

Baptismum novitatem et integritatem sine magnis fletibus et doloribus.

3) Formam Sacramenti Poenitentiae in his Ministri verbis positam esse « Ego te absolvo etc. »

Poenitentis actus contritionem, confessionem et satisfactionem esse quasi materiam huius Sacramenti.

4) Contritionem includere dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Contritionem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessariam; in baptizato lapso ad remissionem eam praeparare coniunctam cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua requisita; adeoque non esse solam cessationem a peccato et propositum et inchoationem vitae novae, sed veteris odium et detestationem. Etsi autem ea aliquando charitate perficiatur, adeo ut peccatorem ante iustificet quam Sacramentum actu suscipiat, hoc tamen sine Sacramenti voto, quod in contritione perfecta includitur, non fit. Contritio imperfecta quae attritio dicitur quia vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, non solum non facit hominem hypocritam et magis peccatorem, sed etiam donum Dei est et impulsus Spiritus Sancti nondum quidem inhabitantis, sed tantum moventis, et quamvis ea sine Sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.

5) Confessionem a Christo institutam, post Baptismum lapsis iure divino necessariam esse, quia ille Sacerdotes sui vicarios ut iudices constituit, ad quos omnia peccata mortalia deferantur: iudicium autem hoc incognita causa exercere nequeunt et ne aequitatem quidem in poenis iniungendis servare, si in genere dumtaxat et non in specie peccata declarentur. Hinc omnia licet occultissima peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientia habetur a poenitentibus, recenseri

debere: venialia autem licet recte et utiliter exponantur, taceri tamen in confessione possunt et aliis remediis expiari. Circumstantias etiam quae speciem peccati mutant, esse explicandas. Confessionem sic fieri praeceptam non esse carnificinam conscientiae, quia poenitens tenetur tantum confiteri ea peccata, quibus se Deum mortaliter offendisse post diligens examen meminerit, quae vero diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. Publicam peccatorum confessionem non esse necessariam, sed satis esse secretam.

6) Non ad omnes Christi fideles, sed ad solos Episcopos et Sacerdotes haec Christi verba « quorum remiseritis etc. » spectare, qui etsi mali sint tamen hoc Sacramentum cum effectu conficere possunt. Ministrum vero non tantum annuntiare Evangelium, vel declarare peccata esse remissa, sed ut Iudicem actu iudiciali sententiam absolutionis pronuntiare, qui tamen animum serio agendi et absolvendi habere debet.

7) In Ministro Poenitentiae, praeter potestatem ordinis requiri iurisdictionem: Episcopos posse aliquos sibi casus reservare, ita tamen ut in articulo mortis nulla sit reservatio, atque adeo omnes Sacerdotes, quoslibet poenitentes, a quibusvis peccatis et censuris absolvere posse.

8) Totam poenam cum culpa per poenitentiam non remitti, hinc iure divino niti praxim confessis ac contritis ac absolutis imponendi satisfactionem, quae conveniens esse debet gravitati criminum et facultati personarum. Non solum tamen poenis aut sponte susceptis, aut a Sacerdote impositis, sed et temporalibus flagellis a Deo inflictis a nobis patienter toleratis, apud Deum per Christum satisfacere nos posse.

His Capitibus additi sunt quindecim Canones quibus errores contrarii anathematizantur.

Quoad Sacramentum Extremae Unctionis proposita est doctrina sequens. 1) Eam esse Sacramentum proprie dictum; a Christo fuisse institutum, insinuari Marci VI ex

quibus verbis Ecclesia intellexit materiam esse Oleum ab Episcopo benedictum, formam vero verba « Per istam unctionem etc. » et promulgatum esse a B. Iacobo.

2) Delicta ac peccati reliquias abstergere, alleviare animam infirmi, et corporis sanitatem interdum conferre si saluti animae expedierit.

3) Huius Sacramenti ministrum esse Episcopum vel Sacerdotem, qui rite ordinatus fuerit per impositionem manuum presbyterii, illamque infirmis conferri debere quando ita periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur, et quoties in simile vitae discrimen devenerint.

Subiunguntur quatuor Canones quibus errores oppositi proscribuntur.

De reformatione sanciuntur sequentia

1) Episcoporum munus est subditos praesertim ad animarum curam constitutos officii sui admonere.

Qui a suo praelato interdictus est ascendere ad sacros ordines aut suspensus ab eorumdem exercitio etiam ob occultum crimen, si ascendat puniatur, nullaque ei licentia de se promoveri faciendo suffragetur.

2) Episcopis sub poena suspensionis per annum ab exercitio pontificalium prohibetur, ne alienum subditum, imo ne familiarem suum ad ordines, ad ipsam etiam primam tonsuram, etiam in loco qui nullius dioecesis sit, sine proprii Episcopi consensu promoveant: sic vero ordinatus ab executione ordinum quamdiu Ordinario placuerit, suspenditur.

3) Episcopi suos clericos ab alio promotos sine suo examine praevio et litteris dimissoriis suspendere possunt ab exercitio ordinum, si minus idoneos repererint.

4) Episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati, possunt corrigere quoscumque Clericos saeculares, quantumcumque exemptos extra visitationem.

5) Iudicum Conservatorum potestas ad certos limites restringitur.

6) Clericis qui aut in sacris ordinibus constituti sunt, aut ecclesiasticum beneficium possident, praescribitur, ut veste

utantur ordini ac dignitati congruente: quod si moniti ab Episcopo non pareant, suspendantur ab ordinibus, officio et beneficio; si nedum se emendent, beneficiis et officiis priventur.

7) Prohibetur ne voluntarii homicidae, licet occulti, ordinentur, et si iam sint ordinati, iubetur ut a ministerio separentur ac omnibus careant beneficiis. Casuales aut vim vi repellentes, cognita et probata causa, dispensentur.

8) Episcopus, cui ex privilegio licet alienos subditos punire, clericos tamen alienos non puniat, nisi interventu eorum Episcopi aut personae ab eo deputatae.

9) Beneficia unius Dioecesis, nulla de causa uniantur beneficiis alterius.

10) Regularia beneficia Regularibus conferantur.

11) Regulares translati ad alium Ordinem in claustro sub obedientia maneant, et beneficiorum saecularium incapaces sint.

12) Ius patronatus nonnisi ex fundatione vel dotatione obtineatur, praesentati institutione Episcopo reservata. Praesentatio vero Ordinario fiat, alias nulla declaratur institutio.

Sessione decima quinta duo decreta fuerunt condita, alterum de prorogatione Sessionis ipsius usque ad diem 19 Martii, quod tempus deinde usque ad primam Maii extractum est Protestantium gratia, quorum Theologi exspectabantur: alterum de *salvo conductu* in uberiori forma impertiendo, prout Hussitis a Basileensi Synodo fuerat concessus.

Sessione decima sexta exortis iterum turbis bellique tumultibus, Concilium rursus suspendi oportuit; et quidem primo in biennium, deinde in integrum decennium usque ad annum videlicet 1562, ut in Appendice III enarrabimus.

Sessione decima septima collectis rursum Patribus post convocationem a Pio IV factam, editur Decretum de continuando Concilio, et tractanda, Legatis proponentibus, materia fidei, morum ac disciplinae.

Sessione decima octava sancitur Decretum alterum de librorum delectu seu Indice librorum prohibitorum a deputatis conficiendo, alterum de fide publica Protestantibus etiam per Congregationem generalem dari concessum.

Sessione decima nona habita die 14 maii decreta fuit prorogatio ad diem 4 iunii, uti per litteras postulaverant Legati Gallici; cumque ii advenissent, petierunt non esse continuandum, sed de integro inchoandum Concilium, ne Lutherani voce illa continuationis offenderentur. Contrarium censuere Itali et Hispani praecipue: abstrahendum ab ea voce censuit Pontifex ac nihilominus inde rerum pertractandarum exordia sumenda, ubi Sessiones sub Iulio III desierant.

Sessione vigesima die 4 Iunii celebrata, prorogatio decreta est ad diem 16 Iulii propter varias difficultates et impedimenta ab Oratoribus praesertim Principum obiecta, in quibus componendis magnae Legatis pontificiis molestiae fuerunt perferendae. Ut enim praeteream contentiones de caeremoniis et honoris sessionisque praerogativa, instanter ab Oratoribus Caesareis, Bohemis, Bavaris et Gallicis expetebatur, ut Communio sub utraque specie concederetur, quod reducendis haereticis opportunum fore arbitrabantur.

Sessione vigesima prima, quae habita est die 16 Iulii an. 1562 actum est de communione sub utraque specie et de communione parvulorum, ac declaratum:

1) Laicos et Clericos non conficientes, nullo divino praecepto astringi ad communionem sub utraque specie, nec dubitari posse quin sumptio sub altera tantum specie, ad salutem sufficiat:

2) Iustis de causis ab Ecclesia abrogatam fuisse consuetudinem communicandi sub utraque specie:

3) Totum et integrum Christum sub qualibet specie sumi, et nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui sub altera tantum specie communicant:

4) Parvulos usu rationis carentes, non obligari ad sacramentalem communionem, sanctos autem Patres, qui eam illis impertiverunt, culpari non debere:

Post haec quatuor conditi sunt Canones adversus errores contrarios.

Subnectitur de reformatione Decretum, quod his absolvitur capitibus:

1) Episcopi eorumque Ministri nihil accipiant quocumque praetextu et etiam sponte oblatum, pro collatione Ordinum, litteris dimissoriis aut sigillo, omnesque contrariae consuetudines penitus cassantur. Notarii vero, ubi viget consuetudo pro dimissoriis aut testimonialibus litteris aliquid accipiendi, decimam tantum unius aurei partem possunt accipere, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo:

2) Nullus ad maiores ordines, licet alias idoneus promoveatur, nisi prius legitime constet beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere; nec illud resignare possit, nisi expresso, eum ad illius titulum esse ordinatum et aliunde vivere posse. Patrimonium vero vel Pensionem habentes ordinari non possunt, nisi ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiarum, nec ea alienari deinceps queunt sine licentia Episcopi:

3) In Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, tertia proventuum pars et fructuum separetur in distributiones quotidianas (ubi tales vel nullae, vel tenues sunt) solisque praesentibus divinis officiis distribuantur proportionaliter iuxta divisionem Episcopi, salva tamen consuetudine Ecclesiarum, in quibus non residentes vel non interessentes nihil, vel minus tertia parte accipiunt.

4) Ubi unus Rector parochialis non sufficit, cogatur ab Episcopo plures Sacerdotes assumere. Ubi vero ob locorum distantiam aut difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad sacramenta percipienda et divina officia audienda accedere nequeunt ad matricem Ecclesiam, novas Parochias etiam invitis Rectoribus Episcopus potest constituere, assignata pro ipsius arbitrio portione ex matrice Ecclesia. Hac autem non sufficiente, compellendus est populus ad necessaria suppeditanda.

5) Propter Ecclesiarum paupertatem et in casibus a iure permissis, possunt Episcopi facere uniones perpetuas Ecclesiarum parochialium vel beneficiorum curatorum aut non curatorum, cum curatis.

6) Imperitis Rectoribus, honeste tamen viventibus, Vicarii pro tempore deputentur cum assignanda parte fructuum: in

scandalo pertinaciter viventes priventur iuxta SS. Canonum constitutiones beneficiis, exemptione et appellatione remota.

7) Ecclesiae vetustate, vel alias collapsae, restaurentur ex fructibus ad eas pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, Patroni et alii qui fructus aliquos ex Ecclesiis iisdem percipiunt, et in horum defectum Parochiani contribuant. Si nullo ex his modis queant reparari, ad Matrices aut viciniores Ecclesias beneficia transferantur: Ecclesia vero diruta in profanos usus (non tamen sordidos) convertatur, erecta ibidem cruce.

8) Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecumque commendata, quotannis ab Ordinario visitentur.

9) Quaestorum eleemosynarum nomine et usu penitus sublato, Ordinarius Indulgentias et spirituales gratias publicet, adhibitis duobus de Capitulo, qui eleemosynas recipiant absque ulla mercede.

Sessione vigesima secunda proposita est Ecclesiae doctrina, proscriptique haereticorum errores de Missae Sacrificio. Definitum fuit 1) Christum in ultima coena sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem suum Deo Patri obtulisse, atque Apostolis, quos tum Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, potestatem et praeceptum dedisse offerendi sub earumdem rerum symbolis, corpus et sanguinem suum, tamquam iuge sacrificium visibile, relinquendo Ecclesiae suae memoriam, per quod virtus sacrificii in Cruce peracti, nobis applicatur in remissionem peccatorum.

2) Eucharistiam esse vere sacrificium propitiatorium pro vivis et defunctis.

3) Missam celebrari quidem in honorem Sanctorum, non autem ipsis Sanctis offerri sacrificium, sed soli Deo.

4) Sacrum Canonem ita ab omni errore esse purum, ut nihil in eo contineatur, quod sanctitatem ac pietatem non redoleat.

5) Caeremonias, lumina, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, officia esse pietatis, quibus fidelium mens erigitur et prae-

paratur ad rerum altissimarum aestimationem et contemplationem.

6) Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, esse commendandas et vere communes censendas.

7) Vinum aqua miscendum tum quod Christum ita fecisse credatur, tum quod e latere Christi exierit sanguis et aqua quod hac mixtione recolitur; tum etiam quod aqua populum cum Christo capite unitum significet.

8) Ecclesiae romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, non esse damnandum, nec lingua tantum vulgari missam celebrari debere.

Post haec S. Synodus errores contrarios novem canonibus damnat.

Addit denique Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missae, in quo Episcopis praecipitur, ut curent e medio tollere quae in Missae celebrationem vel avaritia, vel irreverentia vel superstitio invexerunt. Et quidem quod ad avaritiam pertinet, prohibetur omnis simonia et quaestus turpis. Quoad irreverentiam, vetatur ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Iubetur ne is, qui publice et notorie criminosus est aut sancto Altari ministrare aut sacris interesse permittatur, ac ne Episcopi patiantur Missas celebrari privatis in domibus atque extra Ecclesiam et Oratoria ab iisdem visitanda. Vetatur ne Missae sacrificium peragatur, nisi prius qui intersunt decenter composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam ac devoto cordis affectu non solum corpore adesse. Vetatur ne adhibeatur musica in qua sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, item saeculares omnes actiones, vana ac profana colloquia, deambulationes etc.

Quod pertinet ad superstititionem cavetur, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, ne alias caere-

monias, ritus, aut preces adhibeant praeter eas, quae ab Ecclesia sunt probatae; ablegatur quarumdam Missarum et candelarum certus numerus. Denique edicitur ut Episcopi populum moneant, ut frequenter ad parochias accedant, saltem diebus dominicis et festis maioribus.

Capita vero reformationis sunt.

1) Clerici a saeculari negotio abstineant, honeste, graviter et sancte se gerant ut aliis exemplo sint.

2) Ad cathedrales Ecclesias assumantur natalibus, aetate, moribus, doctrina, a SS. Canonibus requisitis, Doctores aut licentiati Sacrae Theologiae vel iuris Canonici, aut publico Academiae testimonio praediti, et in sacro ordine antea constituti saltem per sex menses.

3) Episcopi statuant distributiones quotidianas ex tertia parte quorumcumque fructuum, dignitatum, personatuum et officiorum in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, quas amittant, qui praesentes non sunt, exceptis illis qui curam animarum gerant. Absentium vero portio cedat fabricae aut altari vel pio loco arbitrio Episcopi.

4) In Cathedrali vel Collegiata etiam regulari, vocem in capitulo non habeat, qui non est subdiaconus.

Hi qui in dictis Ecclesiis beneficia obtinent, quibus varia adnexa sunt onera, intra annum requisitos ad ministerium ordines suscipiant et provisio fiat tantum iis, qui aetatem habent et cetera requisita.

5) Dispensationes extra Curiam romanam locorum Ordinariis committantur. Rescripta gratiae non sortiantur effectum, nisi ab iisdem tamquam Sedis Apostolicae Delegatis summarie et extraiudicialiter examinata, nullo obreptionis vel subreptionis vitio laborare compertum sit.

6) Ad commutandas ultimas voluntates adsit iusta et necessaria causa et Episcopi tamquam Sedis Apostolicae Delegati summarie et extraiudicialiter preces cognoscant nec subreptionis nec obreptionis vitio obnoxias esse.

7) In appellationibus servetur Cap. *Romana* de Appell. in VI.

8) Locorum Ordinarii omnium piarum dispositionum executores sint, et visitandi ius habeant hospitalia, Collegia, Con-

fraternitates laicorum ac Scholas, iis exceptis, quae sub immediata Regum protectione sunt.

9) Administratores quorumque piorum locorum rationem reddant singulis annis Ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum.

10) Notariorum, etiam auctoritate regia creatorum, sufficientiam scrutentur Ordinarii, insufficientes et delinquentes arceant a causis ecclesiasticis.

11) Bonorum ecclesiasticorum aut pii loci occupatores, usurpatores aut perceptionis impeditores anathemati subiiciantur, quamdiu ea detinent vel impediunt perceptionem, et Summo Pontifici absolutio reservetur. Ipso facto privantur iure patronatus si illud possideant, et si Clerici sint, beneficiis ecclesiasticis, cum inhabilitate ad alia et suspensione ab executione ordinum.

Sessione vigesima tertia actum est de Sacramento Ordinis. Hanc vero sessionem ultra decem menses oportuit differre propter duas controversias, quarum altera ad reformandos Romanae Curiae abusus instituta est ab Imp. Ferdinando et Galliae Rege. Iis Pontifex constanter respondit suarum esse partium ea quae Romae corrigenda viderentur emendare, atque abunde se id iam praestitisse Constitutione novissime edita.

Altera controversia erat de loci praerogativa inter Legatum Hispanum et Galliae Oratores, ad quam sopiendam datus est illi locus extra ordinem Legatorum.

Capita edita de Sacramento Ordinis sunt:

1) Christus Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus dedit potestatem consecrandi et offerendi visibile Sacrificium atque remittendi et retinendi peccata.

2) Ad venerationem tanti Sacrificii ab ipso Ecclesiae initio fuerunt in usu septem Ordines, tres maiores seu sacri, et quatuor minores.

3) Ordo est vere ac proprie Sacramentum cum conferat gratiam et habetur II Tim. I.

4) Soli illi sunt Sacerdotes, qui legitime sunt ordinati ab Episcopis. Episcopi sunt maiores Presbyteris et

confirmationis ac ordinis Sacramentum conferunt: nec ad hoc requiritur Magistratus aut populi consensus. Ordinatis imprimitur character indelebilis, propter quem numquam amplius effici possunt laici.

Contraria iis capitibus doctrina damnata est pro more octo Canonibus.

His capitibus et Canonibus subiecta sunt duodeviginti Decreta de Reformatione, quorum summa est.

1) Quia iure divino Rectoribus Ecclesiarum praeceptum est gregem suum pascere ac regere, pro iis sacrificium offerre ac verbi divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum exempló pascere; Episcopus et Superiores Praelati numquam absint a sua Dioecesi, nisi ad summum per tres menses continuos, vel interruptos. Si urgente causa ultra abesse velint, causam Pontifici aut Metropolitano in scriptis approbandam exhibeant, nisi incidat peragendum officium reipublicae aut Episcopatui adnexum, adeoque notorium aut repentinum. Ita pro tempore absentiae Ecclesiae suae provideant, ut nullum inde detrimentum patiatur. Alias fructus non faciant suos, sed pro rata absentiae eos aut fabricae aut pauperibus loci erogent, etiam alia monitione non secuta.

Idem decernitur de inferioribus curatis, in quorum absentia constituendi idonei Vicarii ab Ordinario approbandi. Discedendi autem licentiam in scriptis et gratis concedendam, ultra duos menses, nisi ex gravi causa, non obtineant.

2) Episcopi ultra tres menses consecrationem differentes, fructus teneantur restituere. Si rursus per tres menses consecrationem negligant, Ecclesiis ipso iure sint privati. Consecratio autem fiat in Ecclesia ad quam sunt promoti, aut in Provincia si commode fieri potest.

3) Episcopi per semetipsos ordines conferant. Si aegritudine impediti fuerint, subditos suos non aliter, quam iam examinatos et probatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

4) Prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis nondum receperint aut fidei rudimenta, item legere et scribere nesciant, et de quibus non sit probabilis coniectura eos non ad subterfugiendum saeculare iudicium id genus vitae elegisse.

5) Ad minores Ordines promovendi, bonum testimonium habeant a Parocho et Magistro scholae. Omniaque ante ordinationem circa ipsorum natales, aetatem, mores etc. diligenter inquirantur.

6) Nullus, prima licet tonsura aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, obtineat Beneficium ante quartum decimum aetatis annum. Neque privilegio fori gaudeat, nisi habeat Beneficium, aut clericalem habitum ac tonsuram gestet, alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviens, aut in Seminario Clericorum vel Academia de licentia Episcopi versetur.

7) Episcopus ordinandorum omnes qualitates diligenter investiget et examinet, adscitis viris peritis.

8) A proprio Episcopo ac statutis a iure temporibus quilibet ordinandus, vel ab alio cum proprii licentia et testimoniis et in cathedrali Ecclesia; vel si Episcopus sit in alio loco suae Dioecesis, in digniore Ecclesia loci, quantum fieri potest, instituatur ordinatio ac publice, praesente Clero.

9) Episcopus familiarem suum ordinare non potest, nisi per triennium fuerit cum eo commoratus; tum autem statim ei Beneficium conferre debet.

10) Abbates nulli saeculari vel regulari sibi non subdito tonsuram aut ordines minores conferant, nec ipsi aut Capitula quaecumque, dimissoria concedant, ne quidem Sede vacante.

11) Etiam minores Ordines per interstitia conferantur, nisi Episcopo aliter visum fuerit. Tum vero nonnisi post annum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae iudicio Episcopi aliud exigat. Tempore autem interstitiorum diligenter se exerceant in virtute et doctrina, ac munere ab Episcopo sibi commisso, ut digni inveniantur ascensu ad altiores ordines.

12) Nullus promoveatur ad Subdiaconatum ante vicesimum secundum aetatis annum, ad Diaconatum ante vicesimum tertium, ad presbyteratum ante vicesimum quintum. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti examine Episcopi ordinentur, quibuscumque privilegiis quoad hoc penitus exclusis.

13) Subdiaconi et Diaconi ordinentur in minoribus iam probati ac scientia, quae ad officium exercendum requiritur, probe instructi, continentes etc. Diebus festis solemnibus et Dominicis

maxime decet ut communicent. Per annum interstitia servent, nisi aliter visum fuerit Episcopo ob Ecclesiae necessitatem vel utilitatem. Duo sacri ordines nulli eodem die conferantur.

14) Qui pie et fideliter in prioribus ordinibus ac ministeriis se gesserint, ac per annum ad minus in diaconatu ministraverint ad presbyteratum ascensuri, iis sint imbuti litteris, ut populum docere possint ea, quae scire omnibus ad salutem necessarium est, et ut ministrare possint Sacramenta. Vitae bono exemplo praeluceant. Diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus celebrent, et si curam animarum habuerint, quoties hoc munus exigit. Cum promotis per saltum, potest Episcopus dispensare, si non ministraverint.

15) Quamvis Presbyteri absolvendi potestatem in ipsa ordinatione accipiant, ut tamen saecularium etiam Sacerdotum Confessiones audire possint, debent omnes etiam Regulares (nisi parochiale beneficium habeant) ab Episcopo approbari, seu idonei iudicari praevio examine, nisi aliunde de idoneitate constet. Approbatio autem gratis fiat.

16) Singuli ordinandi adscribantur illi Ecclesiae pro cuius necessitate aut utilitate assumuntur ubi suo munere fungantur, nec vagentur incertis sedibus. Qui inconsulto Episcopo locum deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus peregrinus sine litteris commendatitiis sui Ordinarii ad celebrandum, aut ministranda sacramenta admittatur.

17) Functiones ordinum ab diaconatu ad ostiariatum restituendae, assignatis fructibus ex simplicibus Beneficiis vel fabrica, ne ab haereticis tamquam otiosae traducantur. Deficientibus tamen minoristis coelibatum colentibus, sufficiantur coniugati, monogami tamen, tonsurati et induti clericaliter in Ecclesia.

18) In Cathedralibus pro ratione facultatum erigantur Seminaria Clericorum in quibus pauperes praecipue recipiendi et ad sacra ministeria praeparandi; itemqne Scholae erigantur assumendi communibus Ecclesiasticorum sumptibus.

Sessione vigesima quarta, quae indicta fuerat in diem 16 sept. sed proroganda fuit in diem 11 nov. 1563, exposita fuit doctrina de matrimonio. Canones 12 praeit doctrina quae matrimonii perpetuum et indissolubilem ne-

xum asserit; enuntiat hoc vinculo duos dumtaxat copulari et coniungi; gratiam meritis Christi matrimonio comparatam affirmat, quae naturalem amorem perficiat, indissolubilem unitatem confirmet, coniuges sanctificet; indeque matrimonium Sacramentis annumerandum infert et Traditione confirmat. Ipsi autem Canones pro more anathematizant eum qui dixerit:

1) Matrimonium non esse vere ac proprie Sacramentum a Cristo institutum nec gratiam conferre.

2) Licere Christianis plures simul habere uxores neque hoc lege divina prohibitum.

3) Consanguinitatis et affinitatis tantum gradus in Levitico expressos matrimonium impedire contrahendum, dirimere contractum; nec posse Ecclesiam dispensare in eorum nonnullis nec constituere ut plures impediant et dirimant.

4) Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse.

5) Propter haeresim aut molestam cohabitationem, aut coniugis absentiam dissolvi posse matrimonii vinculum.

6) Matrimonium ratum non consummatum, per alterius coniugum solemnem Religionis professionem non dirimi.

7) Errare Ecclesiam dum docuit et docet non dissolvi vinculum matrimonii per alterius coniugum adulterium, nec quamdiu alter coniugum vivit posse etiam innocentem, aliud matrimonium inire moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae dimisso adultero, nupserit alii.

8) Ecclesiam errare dum decernit ob multas causas fieri posse separationem quoad thorum seu cohabitationem ad certum vel incertum tempus.

9) Clericos in sacris ordinibus constitutos et Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque valere, non obstante lege ecclesiastica vel voto, omnesque posse contrahere matrimo-

nium, qui castitatis, licet eam voverint, donum se habere non sentiunt.

10) Statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, huncque illo non esse meliorem.

11) Prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse, benedictiones earum aliasque coeremonias ecclesiasticas damnandas.

12) Causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos.

Post doctrinam et canones subiicitur Decretum de reformatione matrimonii cuius summa est.

1) Quamvis matrimonia *clandestina* fuerint valida, quamdiu Ecclesia ea non irritavit, et quamvis damnandi sint qui affirmant matrimonia a filiis familias sine Parentum consensu contracta, esse invalida aut Parentes ea rata vel irrita reddere posse, Ecclesia tamen ea semper prohibuit. Quia autem sola prohibitio non sufficit ad coercenda scelera et abusus, praesertim eorum, qui ad alias nuptias transeunt vivente priore coniuge et sic in adulterio vivunt; ideo Synodus praecipit ut antequam matrimonium contrahatur ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. Tum si nullum impedimentum opponatur, matrimonium in facie Ecclesiae celebretur, Parocho, intellecto consensu, eos coniungente. Si probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediendum propter tot denuntiationes, tunc vel una tantum fiat, vel saltem Parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Qui vero aliter, quam praesente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, atque huiusmodi contractus irritos facit et annullat; gravibus insuper poenis ab Ordinario mulctandi, qui secus fecerunt. Ante Benedictionem autem sacerdotalem a proprio Parocho in templo impertiendam (nisi alius Sacerdos a Parocho vel Ordinario licentiam habeat) in eadem domo non cohabitent coniuges.

Si autem Parochus vel alius Sacerdos, alterius Parochiae, Sponsos, sine illorum Parochi licentia matrimonio iungeret, aut benediceret, ipso iure tamdiu suspensus maneat, donec absolvatur ab Ordinario eius Parochi ad quem pertinebat sponsos coniungere. Habeat Parochus Librum in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti Matrimonii describat.

Monendi etiam Sponsi ut ante Matrimonium confiteantur et Eucharistiam sumant.

Hoc Decretum promulgetur saepius in singulis Parochiis, praesertim primo anno: post triginta autem dies a promulgatione facta, robur suum accipiat.

2) Unus tantum patrinus, vel una, aut ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant. Impedimentum autem *cognationis spiritualis* solum contrahitur inter hos et baptizatum baptizatique parentes, nec non inter baptizantem et baptizatum baptizatique parentes.

Unde horum nomina diligenter scribenda sunt a Parocho in Libro Baptismali. Si alii, praeter designatos, levando infantem tetigerint, non contrahitur cognatio. Similis limitatio est cognationis ex Sacramento Confirmationis.

3) Impedimentum *publicae honestatis* non oritur ex sponsalibus, quacumque ratione invalidis. Si autem valida fuerint, primum gradum non excedat,

4) Impedimentum *Affinitatis*, ortum ex fornicatione, ad primum tantum et secundum gradum restringitur.

5) Siquis scienter intra gradus prohibitos contrahat, separetur et spe dispensationis careat. Idem statuitur si neglectis solemnitatibus, ignoranter cum impedimento quis contraxerit; si adhibitis solemnitatibus ignoratum impedimentum postea cognoscatur, facilius et gratis cum eo dispensari potest. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes et publicam ob causam.

6) Inter raptorem et raptam, quamdiu rapta in potestate raptoris manserit, non potest consistere matrimonium. Raptor et omnes adiutores sint ipso iure excommunicati et perpetuo infames: et si Clerici fuerint, de proprio gradu excidant. Si rapta a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, in ma-

trimonium cum illo libere consenserit, potest eam raptor ducere. Tenetur autem eam dotare, sive duxerit, sive non.

7) Vagabundi non facile ad matrimonium admittendi. Magistratus saecularis eos severe coerceat. Parochi non intersint eorum Matrimonio, nisi prius diligenter inquisierint et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam obtinuerint.

8) Concubinarii, post trinam Ordinarii monitionem, excommunicentur. Si contumaces ultra annum permanserint, severius puniantur. Concubinae post trinam monitionem, puniantur graviter et extra dioecesim eiiciantur, invocato si opus sit, brachio saeculari.

9) Domini ac Magistratus directe vel indirecte cogentes subditos suos contrahere matrimonium cum certis personis, ipso facto excommunicantur.

10) Ab adventu usque ad Epiphaniam et a feria IV cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive, prohibentur nuptiae.

Post haec patrum reliqua cura fuit, ut moribus atque Ecclesiae disciplinae prospicerent, edito decreto quod viginti capitulis absolvitur.

1) Praescribitur norma procedendi ad creationem Episcoporum et Cardinalium, scilicet ut post mortem Episcopi indicantur publicae preces ad impetrandum a Deo bonum Pastorem. Declaratque Synodus eos mortaliter peccare, qui non promoverint quos digniores, iudicaverint, legitime natos, vita, aetate, doctrina, aliisque qualitatibus praeditos. Quae omnia in publicum instrumentum redacta una cum forma electionis et professione fidei a promovendo facta, ad Summum Pontificem mitti debent.

Eaedem qualitates exiguntur in creatione Cardinalium, qui ex omnibus christianis Nationibus, quantum commode fieri potest, assumantur lectissimi, a Summo Pontifice.

2) Quolibet triennio mandatur ut celebrentur Concilia Provincialia per Metropolitanum, aut eo impedito, per Episcopum antiquiorem, quotannis vero Dioecesana.

3) Edicitur ut Episcopi per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per Vicarium Generalem aut Visitatorem, si quotannis totam dioecesim propter eius latitudinem visitare ne-

queunt, saltem maiorem eius partem visitent, ita ut intra biennium visitationem absolvant. Metropolitani vero non visitent Dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita et probata in Concilio provinciali. Visitatores inutilibus sumptibus non sint molesti, nec quidquam accipiant, nisi quod iure debetur, nempe victualia necessaria. Patroni vero administrationi Sacramentorum se non immisceant, neque proventuum administrationi neque visitationi, nisi quatenus eis ex institutione et fundatione competat.

4) Praedicationis munus diligenter exerceant Episcopi in sua Ecclesia vel per se, vel si impediti fuerint, per alios. In aliis Ecclesiis Parochi, et si fuerint impediti alii ab Episcopo deputandi, saltem omnibus dominicis et festis solemnibus praedicent. Episcopus populum moneat, teneri quemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem saecularis aut regularis etiam in Ecclesia suorum ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat. Curent Episcopi ut pueri saltem Dominicis et Festis diebus in Fidei rudimentis instruantur.

5) Causae criminales graviores Episcoporum, a solo summo Pontifice cognoscantur et terminentur. Si autem causa sit talis, ut extra Curiam Romanam sit committenda, nemini committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, et quidem propria manu Pontificis, atque quoad solam facti cognitionem, definitiva sententia Pontifici reservata. Minores vero causae criminales Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur et terminentur.

6) Datur potestas Episcopis dispensandi in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, (excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis ad forum contentiosum deductis): possunt etiam in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Dioecesi sua per se ipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere. Idem possunt in crimine haeresis in eodem foro conscientiae, non autem eorum Vicarii.

7) Mandatur ut diligenter explicetur populo doctrina de Sacramentis etiam lingua vernacula; item singulis festis monita explanentur, omissis inutilibus quaestionibus.

8) Publice et scandalose peccantibus, publica iniungenda poenitentia, nisi Episcopo aliter fuerit visum. Poenitentiarius in qualibet Cathedrali collocandus, sit Doctor Theologiae aut iuris Canonici, vel Licentiatus et annorum 40, vel qui alias aptior pro loci qualitate reperitur.

9) Ecclesia saecularis, quae nullius est Dioecesis, ab Episcopo proximiore visitetur.

10) Subditi Episcoporum suspendere non possunt per appellationem executionem eorum, quae in visitatione sunt decreta circa morum emendationem.

11) Honorarii tituli et privilegia aliquibus concessi, non derogent Iuri Episcoporum.

12) Nemo ad dignitatem, cui animarum cura est adnexa promoveatur, nisi saltem 25 aetatis annum attigerit, in clerirricali munere versatus, doctrina et moribus conspicuus. Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint Doctores aut Licentiati in Theologia aut Iure Canonico. Ad caeteras dignitates aut personatus, nullam curam habentes adnexam, requiruntur saltem 22 anni aetatis. — Provisus Beneficio curato, tenetur intra duos menses ab adepta possessione, professionem fidei emittere in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram Vicario Generali. Provisi de canonicatu vel dignitate tenentur idem facere etiam in Capitulo. Alias praedicti omnes fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. — Canonici sint Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi, ita tamen ut dimidia saltem pars sint presbyteri. Si commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars Canonicatuum conferantur tantum Doctoribus, vel Licentiatis Theologiae vel Iuris Canonici. Non absint canonici ultra tres menses, alias primo anno priventur dimidia parte fructuum, altero omnibus. In mensibus autem vacationum distributiones amittant. Tenentur vero omnes divina per se ipsos et non per substitutos obire officia. — Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibus abstineant.

13) Ecclesiis Cathedralibus tenuibus succurrendum unione Ecclesiarum aut aliis proventibus. Providendum etiam paupertati parochialium Ecclesiarum. Beneficia tenuia non graventur pensionibus aut aliis oneribus. Omnes pertineant ad aliquam Parochiam, cuius Rectorem agnoscant ut suum Pastorem.

14) In provisionibus, aut admissione in possessionem beneficii, nulli fructus detrahantur, aut convertantur in usus non pios.

15) Tenuitati praebendarum Cathedralium et Collegiatarum subveniatur vel unione plurium simplicium, vel aliquorum suppressione de consensu patronorum.

16) Sede vacante Capitulum, cui inest cura animarum constituat Oeconomum, qui rerum et proventuum curam gerat, item Vicarium infra octo dies a morte Episcopi; qui saltem in iure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias idoneus. Uterque Episcopo dein electo gestorum rationem reddat.

17) Unum tantum beneficium uni conferatur. Si unum non sufficiat sustentationi, addatur aliud simplex, dummodo non utrumque requirat personalem residentiam. Qui vero plures habet Parochiales Ecclesias, vel unam Parochialem et alteram Cathedralem, cogatur retenta una, alteram intra sex menses dimittere. Alias utraque vacare censeatur ipso iure, et aliis conferatur.

18) Dum vacat Parochia, Episcopus statim constituat Vicarium cum portione congrua. Tum concursu publicato, venientes gratis examinentur ab Episcopo vel Vicario et tribus aliis Magistris aut Licentiatis, vel aliis Clericis aut Regularibus. Peracto examine, qui idonei sunt inventi, renuntientur Episcopo, qui eum debet ex iis eligere, quem caeteris digniorem iudicaverit, illique conferri debet Ecclesia. Si vero sit iuris Patronatus ecclesiastici et institutio pertineat ad Episcopum, a Patrono ex approbatis ab examinatoribus is praesentandus est, quem ipse digniorem iudicaverit. Si vero institutio non pertinet ad Episcopum, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus praesentare debet ei, cuius est instituere. Quod si Ecclesia sit iuris patronatus laici, debet is qui praesentatus fuerit, a deputatis examinari, neque, nisi idoneus inventus fuerit, institui.

19) Mandatis provisionis et gratiis expectativis hactenus concessis, nulli fas sit uti; sed nec reservationes mentales, nec ullae gratiae ad vacatura aut indulta ad alienas Ecclesias vel Monasteria ulli concedantur, et hactenus concessa abrogata esse censeantur.

20) Causae omnes ad forum ecclesiasticum pertinentes, in prima instantia coram Ordinario Loci cognoscantur, et saltem

intra biennium a die motae litis terminentur; ultra quod tempus lite protracta, integrum est partibus superiores Iudices adire, qui causam in eo statu in quo fuerat assumant et quamprimum terminari curent. Nec antea aliis committantur aut avocentur neque appellationes ab iisdem interpositae per superiores quoscumque recipiantur, nisi appellatum fuerit a definitiva aut a definitivae vim habente et cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.

Excipiuntur causae iuxta SS. Canones coram Sede Apostolica specialiter tractandae, vel quas ex urgenti et rationabili causa Pontifex per speciale scriptum suae signaturae, manu propria subscriptum, iudicaverit committendas aut avocandas.

Causae matrimoniales et criminales non inferiorum Iudicum, sed Episcopi iurisdictioni relinquantur. Neque a Nuntiis Apostolicis impediantur aut turbentur, qui neque contra Clericos debent procedere, nisi Episcopo prius requisito et negligente; alias eorum processus sint irriti.

Appellans ab Episcopo tenetur acta omnia primae instantiae ad Iudicem appellationis suis impensis deferre, admonito prius eodem Episcopo. Copiam actorum autem tenetur Notarius intra mensem appellanti extradere. Secus puniendus una cum Iudice *a quo*, si is tergiversationis particeps fuerit.

2) Subiecit denique Synodus protestationem qua declaravit mentis suae non fuisse, ut solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ullatenus immutaretur.

Sessione vigesima quinta promulgantur tria dogmatica Decreta 1) de Purgatorio, 2) de Invocatione, Veneratione, reliquiis Sanctorum et de cultu imaginum 3) De Indulgentiis. His additum est 4) decretum de regularibus et monialibus. 5) Decretum de reformatione: ac 6) de electione ciborum, ieiuniis, diebus festis, de indice librorum, Catechismo, Breviario et Missali.

De Purgatorio hoc unum definit Synodus; ipsum videlicet existere atque animas in eo detentas fidelium suffragiis iuvari, potissimum sacrificio Missae.

De Sanctis qui una cum Christo regnant, definit 1) eos orationes suas Deo pro viatoribus offerre 2) bonum atque

utile esse suppliciter eos invocare et contrarium dicentes impie sentire.

De Sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo regnantium corporibus definit, venerationem ac honorem eis deberi, nec inutiliter eorum memorias frequentari.

De imaginibus Christi Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum definit 1) eas in templis habendas et retinendas esse 2) eis debitum honorem esse impertiendum 3) honorem eis exhibitum ad prototypa referri.

Ne autem quoad Sanctorum sive reliquias, sive imagines, sive miracula, abusus irrepat, decernit Sancta Synodus nemini licere ullo in loco vel Ecclesia quomodolibet exempto, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo.

Concilium subiicit Decretum de regularibus et monialibus quod viginti duobus capitulis constat. Nimirum

1) Regulares omnes tam viri, quam mulieres, ad regulae quam professi sunt praescriptum, vitam instituant, servantes exactam disciplinam.

2) Iidem nulla re tamquam propria utantur, adquisitae tradantur Superiori et incorporentur conventui; proprietarius praeter poenas ab Ordine statutas, per biennium privatus sit voce activa et passiva.

3) Omnibus Monasteriis, exceptis domibus Cappuccinorum et Minorum de Observantia, permittitur ut bona immobilia possideant. Numerus personarum in illis pro modo facultatum aut eleemosynarum recipiendus. Nulla sine licentia Episcopi erigenda monasteria sunt.

4) Ne Regularis sine Superioris licentia se servitio alterius loci aut personae subiiciat vel a conventu recedat praetextu accedendi ad Superiorem, nisi ab eo missus vel vocatus; qui sine eiusmodi mandato in scriptis obtento reperitur, ab Episcopo puniatur tamquam desertor. Huic etiam Regularis studens in universitate subiaceat, nisi habitet in Conventu.

5) Episcopi Monialium clausuram exacte servari curent; moniali ne quidem ad breve tempus liceat egredi sine rationabili causa ab Episcopo approbanda. Ingredi vero intra septa nemini omnino est licitum sine Episcopi aut Superioris licentia in scriptis obtenta sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda: licentia autem tantum danda in causis necessariis.

6) Superiores religiosorum virorum et mulierum votis secretis eligantur numquam publicandis, secus nulla sit electio

7) Abbatissa vel quaecumque Praefecta eligenda, 40 annos habere debet et octo saltem annos professionis laudabiliter obitae. Alias eligatur ex alio Monasterio eiusdem Ordinis. Si hoc incommodum videatur Praesidi electionis, triginta saltem annos habeat et quinque annos professionis. Duobus Monasteriis nulla praeficiatur. Episcopus autem vel alius Praeses electionis non ingrediatur claustra Monasterii, sed ante cancellorum fenestellam vota excipiat. In reliquis serventur Constitutiones Ordinis vel Monasterii.

8) Monasteria quae non habent Ordinarios Visitatores Regulares neque subdita sunt Episcopo, sed immediate sub protectione Sedis Apostolicae, Congregationem ex una vel pluribus Provinciis constituant, singulis trienniis convocandam. Si deputati non visitent Monasteria, Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Legato ius esto visitandi.

9) Monasteria Monialium immediate Sedi Apostolicae subiecta ab Episcopo gubernentur, alia vero a deputatis in Capitulis.

10) Moniales quolibet mense confiteantur et commus nicent: iis Confessarius extraordinarius ab Episcopo bis terve in anno exhibeatur. In publica tantum Ecclesia eucharistiam asservent.

Cap. 11) Regulares quoad curam animarum in saeculare exercendam et Sacramentorum administrationem, subsint visitationi et correctioni Episcopali. Excipe curam in eos, qui sunt de familia monasterii exercendam: item loca in quibus Abbates Generales vel Capita Ordinum sedem principalem habent, aut in quibus Regulares iurisdictionem episcopalem et temporalem in Parochos et Parochianos exercent.

Cap. 12) Regulares saecularium consuetudinem sequantur in observatione censurarum episcopalium et festorum dioecesis.

Cap. 13) Controversias de praecedentia componat Episcopus: exempti non in strictiori clausura perpetuo viventes, ad supplicationes publicas accedere compellantur.

Cap. 14) Regularis extra Monasterium dans scandalum a Superiore suo puniatur, alias ab Episcopo puniendus.

Cap. 15) Professio in religione sive virorum sive mulierum non fiat, ante exactum probationis annum et decìmum sextum aetatis completum; antea vero facta nulla sit.

Cap. 16) Renunciatio etiam iurata et in favorem piae causae facta ante ultimos duos menses novitiatus nulla est, neque est efficax si professio re ipsa non sequatur. Finita probatione novitii aut ad professionem admitti aut eiici debent. In pio clericorum Soc. Iesu instituto nihil innovandum edicitur. Cavetur ne quid ex bonis novitii monasterio tribuatur ante professionem.

Cap. 17) Virgines ante annum 12 habitum religiosum non assumant. Professionem non emittant, nisi peracta prius ab Episcopo voluntatis exploratione.

Cap. 18) Iubetur sub poena excommunicationis ne quis, praeter quam in casibus a iure expressìs, cogat mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ingredi volentem prohibeat. Praescribitur ea omnia et singula quae ante professionem vel in ipsa professione fieri oportet, servanda esse non solum in Monasteriis episcopo subiectis, sed etiam in aliis, exceptis mulieribus quae poenitentes aut convertitae appellantur.

Cap. 19) Post quinquennium ab emissa professione nemo audiendus qui agere velit de nullitate ipsius et nullus transferendus ad laxiorem religionem; qui ante obtentam licentiam dimittit habitum puniatur ut Apostata.

Cap. 20) Superiores ordinum Episcopis non subiecti, inferiora monasteria etiam commendata visitent ac corrigant.

Cap. 21) Monasteria in quibus vitae religiosae disciplina decedit reformentur: iis nonnisi Regulares et eiusdem Ordinis praeficiantur: Monasteria principalia in commendam obtinentes post semestre vel Ordinem eumdem profiteantur vel commendis cedant.

Cap. 22) Iubetur nulla interposita mora, praedicta de reformatione regularium capita observari.

Decreto de regularibus et Monialibus Concilium subiicit unum supra viginti capita de reformatione.

In I. Praescribitur ut Cardinales et omnium Ecclesiarum praelati, modesta supellectili ac frugali victu contenti sint, nec consanguineos familiaresve suos ex bonis Ecclesiae augeant.

In II. praecipitur ut in primo Concilio provinciali palam recipiantur, quae in Tridentino definita ac statuta sunt, ac ut ibi Episcopi, Archiepiscopi etc. emittant professionem fidei, item beneficiati ibidem; docentes autem in universitatibus professionem faciant initio cuiuslibet anni.

In cap. III edicitur excommunicationis gladio temere non esse utendum, et ubi executio realis aut personalis fieri potest a censuris esse abstinendum, nec nisi bina saltem monitione praemissa, eas esse infligendas, ac nefas esse civili magistratui iis se immiscere: censuris innexus si per annum insorduerit habebitur ut suspectus de haeresi.

In cap. IV statuitur ut ubi numerus Missarum celebrandarum nimius sit, ita ut illis obeundis pares non sint Ecclesiae, Episcopi, Abbates et Generales ordinum provideant.

Cap. V. Iubetur ut beneficiis ac praebendis bene constitutis, onera adnexa, diligenter praestentur.

Cap. VI. Edicitur ut Episcopo Capitula exempta in criminalibus ob incontinentiam aut aliter visitanti adiungantur duo Canonici. Si ambo discordent ab Episcopo, eligatur tertius et praescripta iudicii forma servetur.

Cap. VII. Accessus aut regressus ad beneficia prohibetur: Coadiutor vero cum iure successionis Praelato non detur, nisi causa prius a Papa fuerit cognita.

Cap. VIII. Beneficiati sint hospitales, hospitalia regantur ut fert fundatio et patiuntur proventus: ad haec Episcopus advigilet, contra fundationem nihil agat, eam observari curet, adhibitis etiam poenis.

Cap. IX. Edicitur quomodo probandum sit ius patronatus: cui deferendum munus patronorum, accessiones vetantur: quibus id iuris non adquiratur statuitur.

Cap. X. Praescribitur ut praeter locorum Ordinarios aliae quaedam personae deputentur tamquam Iudices, quibus causae delegentur ac breviter terminentur.

Cap. XI. Locationes bonorum ecclesiasticorum aut iurium prohibentur, quaedam vero factae irritantur.

Cap. XII. Decimas integre persolvendas iubetur, eas subtrahentes excommunicantur: Rectoribus Ecclesiarum tenuium pie subveniendum suadetur.

Cap. XIII. Decernitur ut quarta funeralium cathedralibus vel parochialibus Ecclesiis, ubi olim moris fuit, persolvatur.

Cap. XIV. Statuuntur poenae in concubinarios.

Cap. XV. Filii clericorum a beneficiis arceantur in Ecclesiis ubi eorum patres beneficium habent aut habuerunt, licet dissimile, interdicitur illis in dictis Ecclesiis ministrare, aut pensiones habere super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent vel obtinuerunt, vel reciproce resignare eadem beneficia.

Cap. XVI. Statuitur ut beneficia curata non convertantur in simplicia: ut ei in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio. Vicariae abolentur, cura ad titulos revocata.

Cap. XVII. Monentur Episcopi ut dignitatem suam morum gravitate commendent, eisque iniungitur ne cum regum ministris, regulis, aut baronibus indigna demissione se gerant.

Cap. XVIII. Praecipitur ut Canones adamussim ab omnibus serventur, et si quando in eis dispensandum sit, id causa cognita, ac summa maturitate et gratis fiat, alias dispensatio sit subreptitia.

Cap. XIX. Qui locum concedunt duellantibus sunt excommunicati, uti etiam ipsi duellantes eorumque patrini, et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant sepultura ecclesiastica. Item suadentes et spectatores excommunicationis vinculo teneantur.

Cap. XX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas principibus saecularibus commendantur.

Cap. XXI, Declaratur omnia et singula quae de morum reformatione atque ecclesiastica disciplina in Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper Sedis Apostolicae auctoritas et sit et esse intelligatur.

Post Decretum de reformatione morum, sacra Synodus aliud de indulgentiis promulgavit definivitque 1) potestatem conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concesssam

fuisse 2) illarum usum Christiano populo maxime salutarem esse. 3. Abusus qui in earum usum per corruptelam irrepserint, ab Episcopis tolli et corrigi debere. In iis tamen concedendis, moderationem iuxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi vult.

Post decretum de indulgentiis actum est de delectu ciborum, de ieiuniis et diebus festis; Synodus quosdam ex Patribus deputaverat ad conficiendum *Indicem librorum* noxiorum, cum autem non potuerit de singulis diiudicari, praecepit ut deputati illi quidquid praestiterant, Summo Pontifici exhiberent ut eius iudicio evulgaretur. Itemque Synodus mandavit deputatis de Catechismo, Missali, et Breviario. Decretum tandem est finem Concilio imponere et eius confirmationem petere a Pio Papa IV.

Post acclamationes praeeunte Cardinali Lotharingio factas, subscripserunt 255; nempe 4 Legati Pontificis, duo alii Cardinales, tres Patriarchae, vigintiquinque Archiepiscopi, 168 Episcopi, 7 Abbates, 7 Generales Ordinum, 39 Procuratores absentium.

Pius IV. edita Bulla « Benedictus Deus » Concilium confirmavit et observari praecepit. Aliam deinde Bullam idem Pontifex dedit, qua derogavit omnibus privilegiis, gratiis et immunitatibus quomodocumque concessis, quae sunt contraria Concilii decretis.

APPENDIX I.

BELLUM SMALCALDICUM - TRANSLATIO ET SUSPENSIO CONCILII

Cum Smalcaldici foederati Concilium Tridentinum inchoatum cernerent, veriti ne Carolus Caesar eos ad illud suscipiendum adigeret, Francofurti ad Maenum convenerunt anno 1546 renovaturi foedus smalcaldicum, ut ita coniunctis viribus, Synodo Tridentinae se opponerent atque ex gregalibus suis aliquos Iudices in Cameram Imperialem intruderent.

Indixit interea Caesar colloquium Ratisbonae, ad quod delecti ex utraque parte rursus Theologi, qui de religionis controversiis disputarent; cumque in disputatione de iustificatione Bucerus aliqua concedere coactus esset contra Protestantium placita, quatuor disputatores protestantes aufugerunt. Territi fortasse etiam sunt Lutheri morte, quae sub hoc tempus incidit.

Accesserat inter haec Ratisbonam ad Comitia Caesar, in quibus nullum ex foederatis Principibus invenit, nec iterato citati advenerunt. Habita nihilominus Comitia statutumque ut omnes Decretis Tridentinis morem gererent, obnitentibus nequidquam protestantium legatis.

Tunc vero cum comperisset Caesar omnia Comitia, edicta omnesque amice componendae pacis modos a Lutheranis eludi eosque foederi suo Smalcaldico mordicus inhaerere, armis ad officium revocandos censuit: quapropter cum Pontifice, Principibus Catholicis et nonnullis etiam Lutheranis ut Mauritio et Augusto Saxoniae Ducibus item Alberto et Ioanne Marchionibus Branderburgensibus foedus iniit.

Ne vero existimaretur bellum religionis causa susceptum, Caesar has attulit causas; arma a se capi ut compesceret eos, qui religionis causas praetexentes Imperium evertere conabantur, quique contra Imperatorem comitia cogere et cum exteris principibus foedera inire non desistebant, atque ut Henricum Brunswicensem liberaret, a Landgravio urbibus suis spoliatum atque adhuc vinctum in carceris squalore atque illuvie detentum.

Cum Caesaris legiones ex dissitis provinciis evocandae forent, foederati autem Smalcaldici suas in propinquis haberent, multo hi viribus et conditione superiores erant. Octo enim hominum millia dumtaxat Caesar Ratisbonae habebat.

Primi Wirtembergici cum civitatibus Sueviae Lutheranis, collecto viginti millium exercitu in aciem armati prodeunt, duce Sebastiano Schertelio Augustano; atque ut copias quas Pontifex submittebat transitu prohiberent, expugnato Ehrenbergensi propugnaculo, Oeniponto imminebant. Verum Schertelius, ubi rescivit duodecim millia Tyrolensium Duce Castelato Comite, arma cepisse, territus ab incepto destitit atque Ulmae foederatis capiis se coniunxit.

Caesar Ratisbona disgressus prope Landishutum castra posuit ibique Smalcaldico exercitu, in quo numerabantur octoginta millia peditum et decem millia equitum cum centum et triginta millibus tormentis bellicis, otiose desidente, magnas suppetias suscepit. Duodecim enim millia peditum et sex millia equitum Pontifex submiserat duce Octavio Farnesio, tria millia Hispania, quatuor millia Germania ex Brisgoia collecta.

Cum his copiis adhuc longe imparibus cumque aliis 12000 peditum et 3000 equitum ex Belgio acceptis suppetiis, hostem aggressus Caesar, acies eius disiecit. Cum exinde Elector Saxoniae non tantum sua recuperasset, sed etiam Mauritio pleraque ademisset, Caesar cum eo congressus, insignem victoriam retulit, deleto ferme ad internecionem saxonico exercitu et Electore ipso capto, cui deprecantibus pluribus Principibus, vitae veniam dedit.

Praecipuo hoc Smalcadici foederis auctore bellique Principe debellato, trepidi per Germaniam Protestantes Caesaris arbitrio se permisere.

Post haec ut laceram Rempublicam per pacem constitueret Caesar, Comitia Imperii Augustae indixit. In his ordinibus

praefatus, maxime interesse reipubblicae religionis discordias summovere per Concilium Generale, cui omnes se subiiciant, convocatum illud iam fuisse Tridenti dixit, pluresque iam celebratas Sessiones. Hinc placere sibi ut a Statibus decernatur illius decretis omnibus esse parendum.

Assensere Caesari tres Electores Ecclesiastici, Palatinus vero Saxo et Brandeburgicus recipiendum quidem censebant Concilium, sed iis conditionibus quas Lutherani essent adiecturi. Alii Principes omnes statuerunt parendum esse Concilio postquam etiam Protestantes in eo fuissent auditi. Cum autem Imperator petiisset ut hoc negotium curae suae ac fidei committeretur, omnes assenserunt, uno excepto Duce Saxoniae captivo. Hinc sancitum est ut omnes Concilii Decretis, parerent.

Post haec non dubitavit Caesar se apud Pontificem effecturum ut Concilium Bononia Tridentum revocaretur; ast alia erat Pontificis mens. Quare summopere commotus Imperator per Legatos suos Bononiae et Romae publice est protestatus contra omnia quae in Bononiensi Conciliabulo, ut aiebat, agerentur. Concilium Tridenti esse indictum; promisisse Patres sublatis morborum periculis illuc redituros; protestantes in aliam urbem non venturos, facilemque iis fore excusationem. cum tantum Concilio Tridentino obedientiam promiserint. Si Ecclesiae paci consulere negligatur se pro officio Advocati, Ecclesiae provisurum.

Pontifex hac protestatione accepta, in neutram partem animum flexit, suspensumque fuit Concilium per quatuor annos, non absque rei catholicae detrimento. Nam eo maxime tempore opportunum fuisset Concilium Tridenti continuare, quo florentissimae erant Caesaris res, atque adeo efficacius Protestantes potuissent adigi ut promissis starent et decretis Synodi obsequerentur; cum e contrario, diuturno illo temporis intervallo mutata rerum germanicarum facie, non levia in Ecclesiam damna obvenerunt.

APPENDIX II.

DE CONSTITUTIONE *INTERIM* ET REDUCTIONE CONCILII TRIDENTUM

Cum Imperator Pontificem impellere non posset ut Concilium Tridentum reduceret, Theologis committendum censuit, ut formulam aliquam confessionis communi consilio conciperent, quae *interim* ab omnibus observaretur, donec a Concilio generali dogmata fidei definirentur.

Selecti ex Catholicis ad hanc formulam conscribendam Iulius Pflugius et Michael Haldingus, ex protestantibus Ioannes Agricola. Petiit Imperator ut etiam Pontifex suum legatum mitteret, qui una cum tribus istis Theologis, formam Confessionis ab omnibus interim acceptandam concinnaret.

Verum quominus hoc fieret, praeter alia obstabat Henricus II Rex Galliae, qui parenti suo Francisco I nuper successerat. Hic enim Princeps, veritus magnam Caroli V potentiam, in animum suum induxerat quacumque posset via eidem sese opponere. Quare Concilium Bononiae non autem Tridenti continuari voluit, missis eo suis Episcopis, Cardinalibus autem ad Pontificem qui operam darent, ne Pontifex Caesaris postulatis annueret, eique exponerent eo tendere istius consilia ut non tantum in politicis Italiae atque Europae rebus se dominum constituat, sed etiam in sacris et Religionis negotio supremum arbitrium affectet.

At Caesar comperta Romanae Curiae cunctatione tam in decernendo loco Concilii, quam in mittendo legato ad Augustana comitia, anno 1548 formulam a tribus illis theologis conceptam Statibus approbandam obtulit, ac deinde imperiali edicto sanxit:

et quoniam tantum *interim* servanda erat donec conclusio fieret generalis Concilii, dicta est Constitutio *Interim*.

In hoc schemate fidei continebantur articuli spectantes statum Adami ante et post peccatum, redemptionem per Christum et iustificationem peccatoris, bona opera, Ecclesiam ejusque notas, potestatem, Pontificem, Episcopos, Sacramenta, Missam, Invocationem Sanctorum, preces pro defunctis, ritus in administrandis sacramentis omniaque in iis erant orthodoxa, praesertim si bono sensu acciperentur.

Duo tamen concessa sunt interim capita Lutheranis, matrimonium nempe Presbyterorum et Communio sub utraque specie, quae capita non ad fidem sed ad disciplinam pertinent. Neutri parti haec confessio ex integro placuit. Pontifex eam a Caesare oblatam tum ipse examinavit Romae, tum etiam Bononiensibus Patribus examinandam dedit. Haereticum in ea inventum nihil; inssit tamen Imperatori per Cardinalem Sfrondratum nuntiari: neque pertinere ad Caesarem negotia religionis componere, neque permittenda esse duo illa capita Lutheranis concessa. Persuasus tamen Pontifex a Card. Morono fuit, ne manifestius constitutioni *Interim* se opponeret: tolerari dumtaxat ab eo interim ex necessitate minimam particulam Lutheranismi, qui alias ex integro tolerandus foret. Quare etiam Caesar ad evitanda maiora mala interim admittenda illa duo existimavit in Lutheranis; modo in reliquis omnibus ac praesertim, quae ad Fidem pertinent, cum Ecclesia Catholica convenirent.

Orta etiam est, occasione Constitutionis Caesareae, nova Lutheranorum divisio in rigidos et molles, prout eidem obluctabantur vel obsecundabant.

APPENDIX III.

DE SUSPENSIONE CONCILII PROPTER BELLUM MAURITIANUM

Carolo V Imp. anno 1552 bellum gravissimum inlatum est a Mauritio illo, quem post Smalcaldicum bellum, capto et exauthorato Ioanne Friderico, Saxoniae Electorem constituerat, translata ab Ernestina stirpe ad Albertinam dignitate, cum potissimis Saxoniae ditionibus.

Hic Princeps ut amorem ac studium Protestantium sibi conciliaret, ducem adversus Caesarem constituere se iam pridem tacite meditabatur, ut Lutheranos ab obedientia Concilio Tridentino praestanda, vi illata, exsolveret. Causa altera defectionis erat Philippus Landgravius Hassiae ipsius socer, quem libertati restitui frustra saepius a Caesare postulaverat.

Opportunum consiliis locum dedit ipsa provincia, quam Imperator ei demandaverat, compellendi videlicet armis ad deditionem et obsequium Magdeburgum, eo quod acceptandae Constitutioni *interim* pertinaciter repugnaret, et Sacerdotium iuribus suis vi deiiceret. Validas ad hunc finem a Carolo acceperat copias, quas auxit identidem protracta de industria in annum obsidione. Quo tempore Protestantium Principes Brandeburgicum Palatinum, Wirtembergicum, Bipontinum, Meclenburgos, Badensem, tacito foedere in partes suas pertraxit.

His minime contentus Mauritius, Henricum II Regem Galliae in armorum societatem adsciverat, qui ad vindicandam, ut ferebat, Germaniae libertatem, cum ingenti exercitu venturum se promisit, Cameracum, Tullum, Metas, Virodunum pro se pactus.

Hinc Mauritius bellum infert Caesari imparato, qui Ferdinandum Fratrem ad pacis conditiones ineundas submisit. Convenerunt proinde Lincii Ferdinandus Rex et Mauritius, qui foederatos suos consulendos dicebat ut Passavii deinde pax iniri posset ac pactus 15 dierum inducias ad suum exercitum accurrit. Atque ut Caesarem inermem Oeniponti interciperet cum toto suo exercitu movit Abudiacum, urbem ad Licum amnem et alpium radices sitam, eaque occupata, iter prosecutus est.

Carolus Imp. percepto tristi hoc nuntio, cum Ferdinando Fratre, qui expositurus quid cum Mauritio Lincii egisset, quidque ulterius agendum esset cum Caesare consulturus Oenipontum venerat, Villacum in Carinthiam profugit.

Mauritius autem Oenipontum ingressus ea quae Caesaris erant militum licentiae permisit, cumque induciae Lincii sancitae pro ineunda pace appropinquarent, Passavium se recepit, ubi famosa illa *Transactio Passaviensis* (quam pacem religiosam appellant) est inita an. 1555 Augustae postea confirmata.

In hac pactione armorum vi extorta et duodecim articulis contenta, decernitur libertas Landgravii et religionis Lutheranae secundum Confessionem Augustanam.

Hos veriti tumultus cum Tridentini Patres diffugissent, Iulius Pontifex ex Cardinalium consilio suspensionem Concilii decrevit, quae decreta iterum est Sess. XVI et in decennium prorogata propter bellum inter Carolum Caesarem et Henricum II continuatum tum in Italia, tum etiam in Belgio.

CONCILIUM OECUMENICUM UNDEVIGESIMUM

VATICANUM

Quod ad incrementum catholicae fidei et religionis cederet, nec non exstirpationem grassantium errorum, pantheismi potissimum et rationalismi, item ad reformationem cleri populique christiani et communem omnium pacem atque concordiam, Pius IX Pont. Max. Concilium Oecumenicum indixit atque inchoavit in Basilica Vaticana die 8 Decemb. An. Chr. 1869.

Adfuere Cardinales 47; Patriarchae 9; Primates 7; Archiepiscopi et Episcopi 600; Abbates nullius Dioeceseos 4; Generales Ord. Monastic. 12; Moderatores generales Congregationum et Ordinum religiosorum 25.

In Sessione prima Pius IX paratam Concilio aulam ingressus, divino adstitit sacrificio, quo expleto Archiepiscopus Iconiensis sermonem ad Patres habuit. Exinde Pontifex Max. obedientiae obsequium a congregatis Patribus excepit ac demum, precibus rite absolutis, Allocutionem habuit qua conquestus est de sanarum doctrinarum perturbatione et luctuosa iuris rectique perversione; tum commemoratis artibus quas vaferrimi veteratores adhibent ad honestatis et auctoritatis vincula solvenda, cupiditates inflammandas et christianam fidem convellendam, Patres hortatus est ut cum ipso simul, omnibus hominibus viam,

veritatem et vitam ostenderent, ac sedulam impenderent operam, quo pax regnis, lex barbaris, monasteriis quies, Ecclesiis ordo, Clericis disciplina, Deo populus acceptabilis, restituatur.

In Sessione secunda habita die 6 Ianuarii 1870 Pontifex ipse ante alios omnes fidei professionem fecit, quam subinde Patres iureiurando interposito confirmarunt.

In Sessione tertia habita die 24 Aprilis Constitutio dogmatica de Fide Catholica lata est, quam heic ex integro describimus.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus noster Iesus Christus, ad Patrem caelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis iunumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili capite communio,

universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus, acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae, utpote supernaturali instituto, per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet sancta mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum* [1].

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare numquam intermisimus. Nunc autem, sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

CAPUT I.

DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, creatorem ac dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus

1 Is. LIX. 21.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam [1].

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter [2]. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius [3], ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT II.

DE REVELATIONE.

Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur [4]: attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio* [5].

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum [6].

1 Conc. Later. IV, c. 1 *Firmiter*.
2 Sap. VIII, 1.
3 Hebr. IV, 13.
4 Rom. I, 20.
5 Hebr. I, 1-2.
6 I. Cor. II, 9.

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis ecclesiae fidem a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt [1]. Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

DE FIDE.

Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem

1 Conc. Trid. sess. IV. Decr. de can. Script.

ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium [1].

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accomodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis* [2]. Et rursum scriptum est: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco* [3].

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati [4]. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam insti-

1 Hebr. XI, 1.
2 Marc. XVI. 20.
3 II. Petr. I, 19
4 Synod. Araus. II, can. 7.

tuit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes [1], et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

CAPUT IV.

DE FIDE ET RATIONE.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest,

1 Is. XI, 12.

credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Cristum facta est [1], pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei [2]. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis [3].

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem [4].

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus [5]. Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custo-

1 Ioan. I. 17.

2 I Cor. II. 7. 10.

3 Matth. XI. 25.

4 II Cor. V. 7.

5 Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici Regiminis*.

diendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam [1]. Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia [2].

1 Coloss. II, 8.

2 Vinc. Lir., Common. n. 28.

CANONES

I.

DE DEO RERVM OMNIVM CREATORE.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat se ipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.

DE REVELATIONE.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III.

DE FIDE.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut

catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.

DE FIDE ET RATIONE.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

In Sessione quarta habita die 18 Iulii lata est Constitutio dogmatica prima de Ecclesia Christi, quae sequens est:

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret [1]. Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra eius fundamentum divinitus positum maiori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam

1 S. Leo M. serm. IV, (al. III.) cap. 2, in diem Natalis sui.

et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores, proscribere et condemnare.

CAPUT I.

DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: *Tu vocaberis Cephas* [1], postquam ille suam edidit confessionem inquiens: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* solemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es Simon Bar Iona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis* [2]. Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens *Pasce agnos meos: pasce oves meas* [3]. Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris

1 Ioann. I. 42.
2 Matth. XVI. 16-19.
3 Ioann. XXI. 15-17.

tantum non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS BEATI PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus, beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet [1]. Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit [2]. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tanquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent [3].

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

1 Cf. Ephesini Concilii Act. III.

2 S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3.

3 S. Iren. adv. haer. l. III, c. 3, et Conc. Aquileien. a. 381, inter. epp. S. Ambros. ep. XI.

CAPUT III.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

Quapropter apertis innixi sacrarum literarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus*

vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur [1].

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium [2], et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri [3]; Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio [4]. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

1 Ep. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII, ep. XXX.
2 Pii Pp. VI Breve, Super soliditate, d. 28 Nov. 1786.
3 Concil. oecum. Lugdun. II.
4 Ep. S. Nicolai I, ad Michaelem Imperatorem.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas [1]. Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina

1 Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II Patribus Concilii oecumenici VIII, Constantinopolitani IV proposita et ab iisdem subscripta est.

apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fide, emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum [1]. Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* [2].

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, caelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

1 Cf. S. Bern. Epist. CXC.
2 Luc. XXII, 32.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Post hanc Sessionem invasio Almae Urbis totiusque principatus quo Romani Pontifices providissimo Dei consilio potiebantur effecit, ut Concilium subito abrumperetur.

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM

A

B

C

D

E

N

O

P

IMPRIMATUR


Fr. Raph. Arch. M. Salini O. P.
S. P. A. Mag. Socius.

—

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

Pagina	Linea	ERRATA	CORRIGE
22	10	Vicinus	Vicinum
31	7	ομοοβίου	ομοουσίου
51	28	absequia	Obsequia
74	17	Chalcedonem	Chalcedone
78	20	indicaverat	iudicaverat
Ibid.	31	Dioscoro	a Dioscoro
85	25	Variis	Varii
Ibid.	30	Eundem	Eumdum
94	36	Hausisses	Hausisse
95	33	Virgilius	Vigilius
137	25	ecclesiasticorum	ecclesiasticarum
143	19	Arciepiscopis	Archiepiscopis
192	18	quavis	quovis
193	12	uret	iuret
255	6	Efficacius	*Deleatur*
		Purgarii	Purgari
		Purgatori	Purgatorii


THE CATHOLIC UNIVERSITY OF AMERICA LIBRARIES
3 0530 011 257 086